

# DOCUMENTA

ANDREAS SAMPERS

## CONSTITUTIONES CAPITULI GENERALIS CELEBRATI IN SCIFELLI, an. 1785

### INTRODUCTIO

Diebus 15 oct.-13 nov. 1785 Congregatio SS.mi Redemptoris in Ditione Pontificia constituta (1) suum primum et unicum Capitulum generale celebravit (2). Cum Superiore generali Francisco De Paola (3) ejusque quattuor Consultoribus (4) congressui adfuerunt Rectores et Vocales octo domorum tunc in Statibus Pontificiis existentium: Roma, S. Angelo a Cupolo, Scifelli, Frosinone, Benevento, Spello, Gubbio, Cisterna.

Initio Capituli electiones ad gubernium generale Congregationis constituendum habitae sunt: die 19 oct. P. De Paola electus est Superior generalis et die 22 seq. electi sunt quattuor Consultores (5). Post has electiones, a die 23 oct., capitulares egerunt per tres hebdomades de iis quae ad regimen et superiores Instituti, ad ministerium apostolicum, ad vitam religiosam et regularem observantiam spectant. - Capituli Acta et Decreta ante 70 annos edita sunt lingua originali italica (6).

---

(1) Scissio inter Congregationem in Statibus Pontificiis constitutam et Congregationem in Regno Neapolitano existentem canonice peracta fuerat decisione pontificia diei 22 IX 1780. Unio perfecta Congregationis restituta est in Capitulo generali an. 1793.

(2) In opere *Acta integra Capitulorum generalium CSSR ab an. 1749 usque ad an. 1894 celebratorum* [abbrev.: AICG], Romae 1899, Capitulum in Scifelli an. 1785 habitum indicatur n. 3. Pro numero absoluto Capitulorum generalium CSSR, ordine chronologico enumeratorum, venit autem 11<sup>o</sup> loco. Cfr tabulam Cap. gen. CSSR in *Spic. hist.* 3 (1955) 308-312.

(3) De Paola decisione pontificia diei 22 IX 1780 renuntiatus fuit Praeses Congregationis in Statibus Pontificiis, et quidem « a beneplacito della Santità Sua »; rescripto diei 4 VII 1783 vero nominatus fuit Rector Maior et Superior generalis « vita durante ». In Capitulo an. 1785 decisum est utendi in posterum titulo « Superioris generalis »; AICG 62, n. 124.

(4) Curia generalis qualis fuit vi rescripti pont. diei 4 VII 1783 describitur in *Spic. hist.* 2 (1954) 20.

(5) Die 24 X 1785 duo Consultores electi sunt Procurator generalis (Paschalis Lacerra) et Secretarius generalis (Michael Di Michele). Electio Admonitoris non est notata in Capituli actibus. Quod P. Lacerra etiam electus est Admonitor, patet ex eius circulari epistula diei 2 XI 1785, qua electionem membrorum Curiae generalis Congregationi communicavit (AG II C 8x).

(6) AICG 53-62: Acta; *ibid.* 62-71: Decreta. *Ibid.* 71-80 habetur Regula pontificia an. 1749 cum quibusdam mutationibus ad oram inferiorem paginarum adiunctis.

Sub finem Capituli actorum invenimus notatum quod etiam Constitutiones ad Regulam itemque Directoria composita et rata facta sunt:

Li 25 detto [ott.] si cominciarono a comporre le Costituzioni sulla Regola e furono terminate li 12 novembre (7)... Dal primo Novembre furono lette le Costituzioni già composte e ne' seguenti giorni, di mano in mano, si lessero anche le altre decretate dal Capitolo e tutti li Directorj ordinati dal medesimo (8)... Il dì suddetto [13 nov.] furono sottoscritte da tutti i Capitolari le sopraccennate Costituzioni e Decreti...; furono sottoscritti ancora li Directorj ordinati dal Capitolo ne' Decreti da esso fatti (9).

Quae Constitutiones et Directoria tamen non conservantur in archivio generali CSSR nec fuerunt nota editoribus operis AICG, qui secus certo saltem Constitutiones transscripsissent, sicut fecerunt sub Capitulo generali an. 1793 (10).

Directoria hodie quoque nos latent, sed textus Constitutionum, latine redditus, abhinc 15 annos inventus est. Hunc vidimus et examinavimus diebus 27-28 sept. 1956 in archivio Provinciae CSSR de Lyon, postquam iam anno praecedente RP M. Curley benevole nobis pelliculam imaginiferam (microfilm) documenti procuraverat.

*Descriptio documenti.* - Manuscriptum conservatur inter documenta pristinae Provinciae Gallico-Helveticae (11), quae nunc in archivio Provinciae Lugdunensis exstant (12). Constat 40 pag., non numeratis, in forma maiore, 34 × 20.5 cm. Totum manuscriptum exaratum est eadem manu, nobis ignota, modo valde ordinato, claro et nitido, ita ut sine ullo labore legi possit; ad duos tantum paragraphos alia manus, pariter ignota, quaedam vocabula addidit, modo minus eleganti, sed tamen clare scripta (13).

Correctiones ac emendationes perpaucae tantum inveniuntur, quae nullum dubium attente legenti afferunt. Quaedam litterae, syllabae et rarius integra vocabula linea obducta sunt (14); quaedam litterae, syllabae et vocabula in prima scriptione omissa, inter lineas adiuncta sunt (15); quadam vice etiam super vocabula prius scripta alia nova graviore ductu inscripta sunt (16). - Omnes hae correctiones factae sunt eadem manu, quae textum scripsit.

(7) AICG 61, n. 120.

(8) AICG 61, n. 121.

(9) AICG 62, n. 122 in fine.

(10) AICG 126-176: Costituzioni stabilite nel Capitolo generale dell'anno 1793.

(11) Decreto pontificio diei 2 VII 1841 Congregatio in sex Provincias est distributa, quarum una Provincia Helvetica denominata est. Decreto diei 22 VI 1850 S. Congr. Episc. et Reg. facultatem dedit immutandi nominis in Provinciam Gallico-Helveticam. Die 2 II 1900 Provincia Gallico-Helvetica divisa est, qua occasione nomen est suppressum.

(12) Documenti locus archivi: A V n. 1.

(13) Ad nn. 122 et 134 (ad titulum Cap. XXI).

N.B. - Ubi in hac introductione ad textum documenti delegatur, indicantur numeri marginales currentes, quos singulis paragraphis seu particulis (alinea; Absatz) inter uncus quadratos apposuimus.

(14) Ex.gr. in nn. 27, 66, 67, 100, 117, 190, 218, 221; saepius in fine versi, quando scriptor tardius animadvertit spatium sufficiens deesse.

(15) Ex.gr. in nn. 70, 105, 172.

(16) Ex.gr. in nn. 79, 114, 185.

Notandum etiam quod manuscriptum quibusdam locis incompletum est. Duo paragraphi integri omissi sunt, ut patet ex numeratione originali progrediente particularum et ex spatio albo reservato ad textum postea explendum (17). In tribus paragraphis deest pars sententiae finalis (18); in una particula pars ultima adiuncta est alia manu (19). In duobus paragraphis vocabulum quoddam omissum est, sed scriptor spatium album reservavit ad textum integrandum (20).

Quamquam manuscriptum igitur non omnino perfectum est, nec quoad scriptonem nec quoad integritatem, iusto tamen iure dici potest artis vocabulo: nitidum exemplar (bella copia).

Totius documenti textus lingua latina est scriptus; est tamen conversus ex textu originali italico, quae lingua tunc temporis in usu erat pro scriptis a supremo Congregationis gubernantibus. Quibusdam locis clare conspicitur italicum fuisse originale, tam ex paucis vocabulis italicis, quae latine verti non potuerunt (21), quam ex quibusdam vocabulis italicis, non latine versis, sed inadvertenter « latinisatis » (22), dum alia pauca vocabula, attentionis defectu interpretis, in forma genuina italica remanserunt, quamquam faciliter latine reddi potuissent (23).

Tribus vicibus inter uncos rotundos textui insertum est vocabulum germanicum et quidem scriptura gothica (Kurrentschrift) (24). Versus finem Constitutionum bis occurrit indicatio monetae Thaler, quae in regnis germanicis recepta erat (25). Manuscriptum nostrum ergo certo trans Alpes exaratum est et probabilius conversio ipsa latina ibi perfecta est; sine dubio textus latinus confectus est ad usum Transalpinorum, non vero Patrum Italicorum, quibus melius convenibat textus originalis italicus. Interpres etiam confirmationem publicam finalem P. is De Paola latine reddidit; improbable enim videtur quod in archivio Congregationis an. 1790 conservabatur textus latinus Constitutionum et Decretorum Capituli generalis an. 1785.

Duo textus diversi in manuscripto habentur: « Constitutiones Congregationis SS. mi Redemptoris » (pp. 1-31), quas insequuntur « Capituli MDCCLXXXV

(17) Nn. 118 et 139.

(18) In nn. 106, 123, 159.

(19) In n. 122.

(20) In nn. 162 et 184.

(21) « Cioccolata » in nn. 30 et 77; « rosoglio » in n. 77; « zimarra » in nn. 42, 46, 52.

(22) Ex-gr. in nn. 53, 55 et 200: « stabilimentum », ex ital. stabilimento, pro « statutum » vel « institutum »; in n. 166: « quaesto », ex ital. questo, pro « hoc »; in n. 200: « cum disturbine », ex ital. disturbo, pro « molestia »; in n. 201: « commestibilia », ex ital. commestibile, pro « edulia ».

(23) Ex-gr. in n. 67: « eccedere », pro excedere; in n. 86: « fare », pro facere; in n. 99: « o », pro aut; in n. 132 « altro », pro alio; in n. 217: « dal », pro a.

(24) « Rasch » in nn. 41 et 42; « Krücke » in n. 43. In n. 41 habetur etiam vocabulum gallicum « sergette ».

(25) In nn. 205 et 218.

Decreta » (pp. 31-40). In fine habetur declaratio Capituli « de Privilegiis Congregationis », quae est partis III caput III Decretorum, cui immediate adiecta est attestatio authenticitatis, eadem exarata manu, quae totum scripsit documentum: « Copia praesens extracta est ex Originali, quod in Archivo asservatur, et quocum facta diligenti collatione concordare reperta est. 6<sup>9bre</sup> 1790, Romae. - Loco Sigilli. - Franciscus de Paola, Superior generalis » (p. 40 in fine).

*Momentum documenti historicum.* - Manuscriptum nobis praebet duos textus, quorum unus hucusque incognitus (Constitutiones), alter quidem notus et iam vulgatus in lingua originali italica, incognitus autem in versione latina fere contemporanea (Decreta).

In Decretorum inscriptione expressis verbis dicitur, ea esse Capituli generalis an. 1785 (p. 31). In Constitutionum inscriptione vero non significatur, quales sint, nec alibi in manuscripto hoc expresse indicatur. Sine ulla dubitatione tamen affirmare licet, textum repertum exhibere revera Constitutiones Capituli generalis an. 1785. Dies fine documenti inscriptus (6 nov. 1790) sufficiens praeberet argumentum, sed magis ad fidem nostrae affirmationis faciendam valet summa congruentia inter summarium Constitutionum actibus Capituli insertum (26) et ordinem capitulorum eorumque argumentorum, sicuti haec disposita sunt in nostro documento.

Quoad textum Decretorum in manuscripto exhibitum, notatu dignum est summarium Decretorum actibus Capituli insertum (27) melius respondere dispositioni eorum in nostro documento quam in editione AICG (28). Dispositio Decretorum in AICG est secundum ordinem chronologicum discussionis et approbationis in Capitulo (29); ordo eorum in manuscripto autem est systematicus, sequens dispositionem partium et particularum, uti in Regula se invicem excipiunt.

Editio totius manuscripti ergo perquam opportuna videtur; non solum propter momentum documenti pro historia Congregationis in Italia sub finem saeculi XVIII, sed maxime quia est primus textus Constitutionum et Decretorum Capituli generalis cognitus et usu receptus in Congregatione trans Alpes. - Impraesentiarum tamen satis habemus non transscribere nisi Constitutiones, quae, utpote incognitae, studiosis maxime acceptae erunt. Ad Decreta postea mentem revolvere speramus ampliori contextu.

---

(26) AICG 61, n. 121, ubi omnia argumenta (capitula) trium Constitutionum partium ordine enumerantur.

(27) AICG 61, n. 122: « Furono indi letti ed approvati tutti i decreti fatti dal medesimo Capitolo generale sulla prima, seconda e terza parte della Regola. La prima parte contiene 8 decreti, la seconda ne contiene 7 e la terza ne contiene 26, e in fine il decreto dell'accettazione de' Privilegj ».

(28) AICG 62-71. « Decreti fatti sulla terza parte della Regola », nn. I-XXV (pp. 62-67); - « Parte prima », nn. I-VIII (pp. 67-68); - « Parte seconda », nn. I-XII (pp. 68-71).

(29) Decreta uti edita in AICG, sunt potius Capituli acta a die 23 X - 3 XI 1785, quibus sub indicatione diei resumuntur disceptationes et resolutiones Capituli circa Decreta. Notatur etiam quod dies 30 X vacat (p. 69, n. 163).

Corpus Constitutionum et Decretorum an. 1785, quibus manifeste species ingenii P. is De Paola est conciliata, substitutum est in Congregatione Romana pro Constitutionibus pristinis an. 1764, quibus ceterum in multis praescriptis conveniunt. Constitutiones quas sequens Capitulum generale an. 1793 pro tota CSSR composuit et ratas habuit, permultis locis repetunt a Constitutionibus an. 1785, ut comparatione textuum evidenter patet (30).

Constitutiones et Decreta Capituli an. 1785 ab initio ad regularem observantiam instituendam recepta fuerunt in Congregatione trans Alpes, tempore iam quando S. Clemens Varsaviae constituit Institutum. Quia nostri exemplaris textus fide publica a P. e De Paola munitus est die 6 nov. 1790, supponimus illum ad manus sancti pervenisse fine an. 1790 vel initio an. 1791. Certo misus est Varsaviam, antequam Constitutiones an. 1793 fuerunt compositae. In epistulis conservatis Patrum De Paola et Leggio ad S. Clementem datis ann. 1790-93 (31) mentionem de missione Constitutionum et Decretorum non invenimus (32).

Quod Constitutiones et Decreta Capituli generalis an. 1785 in Congregatione Transalpina cognita fuerunt, eisque vis legis attributa fuit, eo patet quia eorum multa ad verbum, alia levi verborum mutatione, vel modo magis accurato ac limato dicta, inserta sunt editioni latinae Constitutionum et Regularum, quae cum falsa « impressi », i. e. loci-anni-typographi indicatione: « Romae MDCCLXXXII - Per Archangelum Casaletti », haud dubie officina quadam typographica trans Alpes sita, certo post an. 1790 typis cusa est (33).

In adnotationibus ad singulas Constitutiones editionis nostrae indicabimus, quae illarum et ubi in editione Regulae latina « Casaletti » inveniuntur, quin tamen significantur omnes dissimilitudines minores, solum ad formam et dicendi modum attinentes (34). Fere omnes Constitutiones in editione latina « Casaletti » litteris minoribus impressae, aut etiam litteris maioribus sed inter signis « » (virgolette; Anführungszeichen) positae, in nostro manuscripto reperiuntur (35). Sequens transcriptio ergo suum contribuit ad solvendum

(30) Inquisitionem circa similitudinem ac dissimilitudinem Constitutionum an. 1785 et an. 1793 hic instituere abs re videtur. In transscriptione Constitutionum an. 1785 indicabitur tamen ad capitula, ubi textus respondens Constitutionum an. 1793 in AICG inveniatur.

(31) Vide tabulam harum epistularum in *Spic. hist.* 7(1959) 18-20. Epistulae S. Clementis his annis Romam missae, deperditae sunt.

(32) In quibusdam epistulis a mense sept. 1790 usque ad mensem ian. 1791 sermo est de mutationibus in genuina Regularum observantia a S. Clemente introductis. Forsitan huiusmodi rumores — ceterum falsi — ansam praebuerunt P. i De Paola mittendi Constitutiones et Decreta, munita publica fide hoc ipso tempore (6 XI 1790). Cfr *Monumenta Hofbaueriana* VIII 27-28 (Leggio ad S. Clem., 14 IX 1790), VIII 15-16 (De Paola ad S. Clem., 28 XI 1790), IV 140-141 (De Paola ad nuntium Saluzzo, ian. 1791).

(33) Hanc Constitutionum et Regularum editionem accurate descripsimus in *Spic. hist.* II (1963) 480-482. Textus notis criticis instructus invenitur etiam in opere Ed. Hosp, *Geschichte der Redemptoristen-Regel in Österreich, 1819-1848*, Wien [1939], 125-192.

(34) Indicabimus opusculum hac abbreviatione: CR. Adiungemus locum respondentem editionis P. is Hosp, hac abbreviatione: GRR.

(35) Patet inde quod multo magis Constitutiones an. 1785 quam Constitutiones an. 1793 ut fons editionis Regulae latinae « Casaletti » haberi debent.

aenigma circa editionem latinam Regulae ps-Romae-1782, cuius plana explicatio historica hucusque enixe desideratur.

Circa duas ultiores quaestiones quae ad Constitutiones Capituli generalis an. 1785 spectant, breviter quaedam verba facere lubet: 1° - circa textum originalem italicum nondum repertum; 2° - circa vim iuris, quam tantum approbatione pontificia acquirere potuerint.

1° - Supra indicavimus textum manuscripti inventi esse latinum, attamen certo certius verum esse ex originali italico. Inquisitionem reperiendi originalis igitur instituimus, sed frustra. In archivio generali CSSR textus italicus Constitutionum Capituli generalis an. 1785 non exstat, sicuti etiam desunt alia Capituli acta in exemplaribus originalibus (36). Perpauca documenta originalia, minutae et copiae coevae in dicto archivio conservantur ex tempore superioratus P.is De Paola in Congregatione CSSR Romana (1780-1793). Multae tamen ibi adsunt copiae documentorum illius temporis, quae an. 1865 cura P.is Michaelis Ulrich, tunc tabularii generalis CSSR, exscriptae sunt in Archivo Secreto Vaticano, S. Congr. Episc. et Reg., capsula (busta) «Liguorini 1806».

Inter haec documenta transcripta exstat Libellus supplex P.is De Paola, quo approbationem pontificiam expetivit pro Regula mutata et Constitutionibus (37). Libellus supplex circa 15-20 dec. 1785 porrectus est et in audientia diei 23 dec. 1785 «SS.mus examen et approbationem introscriptarum Constitutionum sive Regularum commisit Congregationi negotiis et consultationibus E.porum et Regularium praepositae» (38). Exstat in ASV, *ut supra*, etiam folium quo iudex inquisitor animadversiones suas notavit circa Constitutiones, quae cum folii et numeri indicatione accurate allegantur (39).

Exemplar Constitutionum Capituli generalis an. 1785 sub finem eiusdem anni igitur certo in archivum S. Congr. Episc. et Reg. pervenit, una cum aliis Capituli documentis, attamen an. 1865, quando copiae pro archivio nostro factae sunt, non est inventum nec transcriptum sicut alia documenta (40). Nova recens inquisitio in ASV non habuit exitum desideratum. Exemplar italicum Constitutionum an. 1785 ibi non invenimus (40<sup>a</sup>).

(36) Exstant in originali solum quaedam notitiae factae tempore Capituli a P.e Lacerra, Capituli secretario, quibus pauca folia ab aliis scripta addita sunt (AG II C 82).

(37) AG II C 86 (copia die 6 V 1866 authenticata a secretario S. Congr. Episc. et Reg.) et D 94<sup>bis</sup> (copia die 25 III 1865 authenticata a P.e Ulrich). Documentum editum est in AICG 80, n. 236; etiam in opere *Documenta authentica facultatum et gratiarum spiritualium quas Congregationi SS. Redemptoris S. Sedes concessit...*, Ratisbonae 1903, 44-48, n. 38.

(38) Decisio Summi Pontificis notatur in AG II D 94<sup>bis</sup>, sub f.

(39) Copia in AG II D 94<sup>bis</sup>, sub i.

(40) Copia Capituli actorum et decretorum conservatur in AG II C 83. Copia Regulae an. 1749 cum quibusdam mutationibus adiunctis conservatur in AG II C 84.

(40<sup>a</sup>) Fortasse ad explicandam absentiam documenti in ASV iuvat notare quod die 25 I 1793 P.i Lacerra concessa fuit communicatio actorum Capituli gen. an. 1785 habiti apud S. Congreg. Episc. et Reg. conservatorum, iniuncta tamen obligatione ea post Capitulum gen. mense martio 1793 habendum reportandi (AG III A 28). De restitutione documentorum non invenimus notitiam.

2° - In Congregatione CSSR Transalpina vis legis attributa est Constitutionibus Capituli generalis an. 1785, quod eo patet quia permultae earum insertae sunt editioni latinae Constitutionum et Regularum ps-Romae-1782, ut supra exposuimus. Re vera tamen vim legis nunquam obtinuerunt, quia S. Sedes eis approbationem necessariam denegavit. Post subtilius studium totius quaestionis (41) S. Congr. Episc. et Reg., ex audientia SS.mi diei 14 sept. 1787, dedit rescriptum ad Libellum supplicem, quem P. De Paola ante 21 menses porregerat: Confertur Superiori generali facultas concedendi litteras dimissorias ad tonsuram et ad ordines minores et maiores Congregatis, determinatis adiunctis. In fine additur: « In reliquis vero quoad moderationem Regulae et Constitutionum [Sanctitas Sua] rejecit instantiam juxta votum S. Congregationis » (42).

Certo nos in quandam admirationem conicit quod P. De Paola, tres annos postquam approbatio pontificia Constitutionum expressis verbis denegata fuerat, exemplar sua fide munitum ad socios trans Alpes misit. Fortasse quasdam explicationes adiunxit, quae tamen nos latent.

*Modus editionis.* - Quoad editionem notare iuvat, transscriptionem nostram esse fidelem; quaedam menda grammaticae et orthographiae tamen corrigemus. Interpres ipse et multo magis etiam scriptor (copista), qui nitidum exemplar, quod prae manibus habemus, confecit, non semper secure procedunt secundum leges linguae latinae (43); in casibus maioris momenti emendationes nostras uncis quadratis significabimus. Interpunctionem et usum ponendi litteras maiores aut minores initio vocabulorum normis hodie communiter servatis aptabimus.

Inter duas lineas erectas notabuntur manuscripti paginae, a nobis numeratae, uti semper facimus in documentis his foliis transcriptis.

Omnes paragraphos seu particulas (alinea; Absatz) totius texti numero currenti, inter uncas quadratas posito [1]-[227], instruemus, hac ratione ut unaquaeque textus pars facilius singillatim allegari possit.

---

(41) Copiae documentorum circa examen Regularum et Constitutionum conservantur in AG II D 94<sup>bis</sup>.

(42) Vide supra, notam 37. Rescriptum enim adiunctum invenitur supplici libello.

(43) Paucissima tantum menda in culpam interpretis trahenda videntur. Notatur tamen quod ille nonnunquam orthographia et expressione minus communibus utitur; ita loco verbi « audire » (confessionem) ponit verbum « auscultari » et quidem ut deponens (in nn. 5, 65, 80, 97, 161). Pleraque menda imputanda sut scriptori, qui versionem originalem probabiliter minus clare scriptam, non semper bene legit et linguae latinae potius imperitus apparet. Correctiones vocabulorum eorumque substitutio (ex.gr. in n. 17 « simul », pro semel; in n. 104 « moriturum », pro movitarum; in n. 128 « lubitu », pro cubitu; in n. 190 « tenore », pro tenere; in n. 225 « rite », pro vitae) contextu sententiarum clare explicantur.

CONSTITUTIONES  
CONGREGATIONIS SS.MI REDEMPTORIS

**Pars Prima**

[DE MISSIONIBUS ALIISQUE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS]

[Capitulum Primum]

De Missionibus (1)

[1] [I.] Cum Institutum nostrum pro scopo habeat missiones, studium omne in id vertendum est, ut in majorem Dei gloriam, aedificationem et salutem animarum cedant; quapropter Superior generalis (2) et Rector localis omnem curam adhibere debent, ut in consecutionem earum finis sanctissimi impendant viros ingenio et morum integritate distinctos, quorum compositiones (3) a quodam Patre, a Superiore generali vel etiam a Rectore locali ad id designato, praevis examinari debent.

[2] II. Rector domus, cum ipsemet [non] exiverit, aut non aliter dispositum fuerit a Superiore generali, cum consilio P.P. Consultorum ejusdem domus eliget superiorem missionis, qui superioris vicem semper obibat, licet Minister exiret, modo hic ipse non fuerit designatus [superior missionis].

[3] III. Huic superiori exactam praestare debe[n]t obedientiam missionarii, ideoque non solum in adimplendo officio, quod

---

(1) Cfr textum respondentem Constitutionum Capituli generalis an. 1793 in opere *Acta integra Capitulorum generalium CSSR ab an. 1749 usque ad an. 1894 celebratorum* [abbrev.: AICG], Romae 1899, 126-130, nn. 329-339: Capo I. Delle Missioni.

(2) In Capitulo generali an. 1785 decisum fuit utendi in posterum titulo « Superioris generalis » loco tituli « Rectoris Maioris »; AICG 62, n. 124.

(3) Compositio: indoles et qualitates physicae ac spirituales.



cuique incumbit, sed etiam in observandis ordine et dispositionibus, nam, his neglectis, missiones felicem exitum sortiri nequeunt.

[4] IV. Finita missione, superior una cum consilio duorum P.P. seniorum (Italis (4) : *anziani*), qui semper ipsum qua Consultores assistent, cuique Patrum conferet officium quo in altera missione fungatur, imponet nempe munus praedicatoris vel instructoris, vel ut instituat exercitia devotionis cum sacerdotibus petrinis (5) aut aliis viris probis; in summa : poterit, prout oportunum censuerit, demandare alia officia, quin respiciat ingenium particulare individuorum, nam omnia disponi debent, prout Dei gloria et salus animarum exposcere videntur.

[5] V. In omni missione constituentur confessarii stabiles, iique pro maribus, ut scilicet aetatem et indolem confitentis dignoscere valeant, et nullus illorum audeat recusare poenitentis confessionem excipere; non autem licebit confessionem faeminae auscultari, nisi certis horis determinatis vel cum licentia particulari. Et si quis nostrum, confessarius faeminei sexus stabilitus, a mare autem confessuro fuerit vocatus, nolit huic denegare assistentiam suam, sed in charitate confitentem auscultetur.

[6] ||2|| VI. Circa exercitia concionum et catechismi, quae in omni missione fieri debent, item circa ordinem et methodum in distribuendis communionibus procedendum est juxta Directorium missionum a Capitulo generali adprobatum (6).

[7] VII. Quantum temporis missio duret, in arbitrio superioris est, habita scilicet ratione numeri animarum, nec debent esse nimis frequentes; talis sunt conditionis ut populi satisfacti et quieti conscientia discedant, id quod fit, cum satis temporis indulgetur singulis ut commode nostris missionariis confiteri queant, in quo maxima et sodalissima [= solidissima] missionum salus versatur. Quaevis missionum autem duret ad minimum per spatium 10

(4) Italis, i.e. italice. Expressione « Italis » etiam utuntur *Constitutiones et Regulae*, ed. latina; Romae, Casaletti, 1782, p. 18 et alibi. Haec editio Constitutionum et Regularum CSSR deinceps saepius allegabitur modo compendiario: CR, cum numero paginae citatae.

(5) Probabiliter: patriis. Italice: i sacerdoti del luogo.

(6) Hoc Directorium nos latet. Varia Directoria subscripta sunt in fine Cap. gen. 1785; cfr AICG 62, n. 122 in fine. - Quando ca. 15-20 XII 1785 Regula mutata et Constitutiones pro approbatione Summo Pontifici porrectae sunt (vide Introductionem), Directoria non sunt praesentata. Quod patet ex notitia examinatoris: « Foglio p<sup>o</sup>, n<sup>o</sup> 6. Si deve portare il Directorio delle Missioni » (AG II D 94<sup>bis</sup>, sub i).

vel 12 dierum, cum regio illa perpaucas continuerit animas; reliquae vero missiones prolongari possunt juxta exigentiam loci et secundum consilium P.P. seniorum (*anziani*) (7).

[8] VIII. Conciones fiant in stilo simplici et intelligibili, nam quisque nostrum non nisi salutem animarum, non autem propriam gloriam et honorem in illis quaerere debet; quapropter superior missionis tenetur in conscientia sua constringere nostros ut satisficiant officio, sedulo legant, concionibus studeant et omne aliud exercitium religiose et exacte exsequantur.

[9] IX. Silentium ab hora matutina, scilicet ex quo surrexerunt, usque ad orationem mentalem [= meditationem matutinam] omnes observabunt, idque etiam vesperi post examen, ne quis disturbetur ab altero; licebit tamen, exigente casu necessitatis, aliqua proferre verba, sed submissa voce. In illis temporibus in quibus meditationes fiunt de die, silentium durabit usque dum detur signum eundi in ecclesiam, ut omnes hora fixa prompti compareant (8).

[10] X. Saecularibus omnis affabilitas demonstretur, ut nempe eos ad Deum reducamus, nimia autem familiaritas et praecipue omnis consuetudo et discursus cum illis in sacristia vitantur horis divini cultus in ecclesia; et si forte omnino necessarium fuerit loqui illis, id concise in paucis verbis fiat.

[11] XI. Superior invigilet celebrationi Missae, ut fiat debita reverentia, pietate et praesentia spiritus, quas sacrificium tantum exoscit. Corrigit delinquentes absque respectu, imo domum remittat illos; est enim scandalum enorme conspiciere missionarium celebrantem sine debitis dispositione, modestia, devotione et attentione.

[12] XII. In omni missione constituentur Patres graves, quorum erit pacifice componere lites, controversias vel discordias, si quae harum ortae fuerint; etiam praefectus ecclesiae nominari oportet, qui bono ordini in cultu divino invigilet.

---

(7) Circa tempus per quod missiones durent, Constitutiones Cap. gen. 1793 statuunt tantum: « Il superiore avverta a non precipitare le missioni per farne molte, ma v'impieghi in ognuna il tempo necessario »; AICG 129, n. 337, 23.

(8) Statutum fere idem in Const. Cap. gen. 1793; AICG 127, n. 332, 9.

[13] ||3|| XIII. Etiam oeconomus esto, qui curam habeat de expensis in via oc[c]urrentibus, de victu Patrum aliisque oportunitis [negotiis,] et gaudebit iisdem facultatibus quibus Minister domus; destinabit enim suis cubicula, lectos et equos (9) cum attinentiis. In articulo victus fugiat semper dapes delicatas et qui[d]quid reluctetur spiritui apostolico. Inde in missionibus prohibitum esto vesci pullis, avibus et piscibus maximi pretii, sed illis solum utantur cibis, quos quisque illius regionis incolarum sumere solet; excipe casum, si nil aliud habere potuerint in missione. Item haec non extendi debent in casus, cum Patres forte necessitati fuerint in itinere comedere in domo cujusdam benefactoris, vel etiam in ipso loco missionis ubi resideat episcopus, princeps vel illius loci patronus. Si autem isti ipsimet facere vellent expensas in alendos missionarios, quod aerarium Instituti haud sufficientibus redditibus provisum est, illis perquam comiter a nostris reponi debet, quod id genus cibi ipsis prohibiti sint.

[14] XIV. Superior vel oeconomus prohibeat fratri servienti serviri a foemina, nec permissum esto Patribus instituere colloquia cum foemina in privato, nisi forte fuerit reconciliationis ergo vel alius urgentis negotii causa; id quod autem nunquam fiat inter oculos quatuor (10), sed semper interveniente aliquo tertio. In hoc puncto superior esto totus Argus et quidem vigilantissimus.

[15] XV. Finita missione, fiat exhortatio illa, quae in domibus quovis Sabbato institui solet, in qua superior exponet defectus quos forte in missione animadvertit, praecipue si qui deliquerint in articulo charitatis vel urbanitatis adversus saeculares vel etiam adversus nostros; imo, si Patrem indolis inquietae et fastidiosae inveni-erit, qui vel socios vel alios disturbet, nec se corrigat, domum remittat eum (11).

[16] XVI. Tempore missionis nulli nostrum permissum esto exire porta sub praetextu infirmitatis aut alius negotii; et si quis incapacem se credat manendi usque ad finem missionis, idque causa

---

(9) Iumenta quibus missionarii utebatur in itineribus faciendis. Cfr praescriptum Regulae CSSR an. 1749, parte I, cap. I, n. 2: « Alle missioni andranno... sempre che possono a piedi o al più a cavallo, solo per necessità permettendosi l'andare in calesse »; *Spic. hist.* 16 (1968) 414.

(10) Inter duos. Italice: a quattr'occhi; germanice: unter vier Augen.

(11) Statutum fere idem in Const. Cap. gen. 1793; AICG 128, n. 334, 16.

particularis indispositionis, superior domum remittat eum. Prohibitum pariter esto tempore missionis facere, ut ita dicam (12), visitas, praeter in principio cujusvis missionis solitas, aut si in loco missionis adfuerit patronus [loci] ipse. Invisere etiam licebit praeter patronum loci religiosos, capitula vel archipresbyteros, gubernatores vel vice-patronos, etiam alia individua majoris distinctionis; id autem semper fiat nomine reliquorum missionariorum.

[17] XVII. Quemadmodum missionarii, cum in aliqua[m] regione[m] advenerint, directe in ecclesiam semel [= simul] conferre [se] debent missionem inceptum, si populum congregatum invenerint; ita die abitus hora matutina Missam celebrabunt, dictisque precibus solitis itineri sese accingent.

[18] ||4|| XVIII. Cura semper habeatur in missionibus, ut illa stabiliantur opera quae consilio Patrum et parochi aestimabuntur plurimum oportuna ut in animabus salutaris ille fructus conservetur, quem missio modo finita in illis produxit; opera talia ex.gr. forent meditationes matutinae cum populo, visitationes SS.mi Sacramenti (13) in memoriam agoniae nostri Domini Jesu Christi.

[19] XIX. Missione finita, superior non permittere Patribus aut alii individuo nostro potest diutius ibidem commorari, nisi infirmitatis aut alius urgentissimae causae spiritualis ergo, sed omnes simul locum novae missionis petant.

[20] XX. Corpus missionis reversum a communitate recipiatur, simulque ope campanulae signum solitum detur ut omnes una in ecclesiam se conferant, gratias Deo debitas absolutum.

[21] XXI. Patres, exacto missionis curriculo domum reversum [= reversi], per spatium 3 dierum exempti sunt ab omni actu communi diurno et nocturno, conceditorque ipsis cibus extraordinarius ad prandium et [ad] coenam; elapsis his 3 diebus debent inviolabiliter se recipere in secessum spirituales, levamen animae datum. Qui autem non fecerit cursum missionis integrum, impendet diem

(12) Ut dicitur, vel: Quae dicuntur visitae (visitationes; salutationes domi).

(13) Ut videtur, quaedam verba desunt in manuscripto. Textus expleri poterit verbis: sonitus campanae. Etiamnunc in quibusdam locis campanae sonantur hora tertia postmeridiana, quo signo fideles certas preces dicunt.

unum in levamen animae (14) et manebit etiam diem unum in secessu (15).

[22] XXII. Circa refectiones animae et exercitia cum populo observantor, quantum fieri poterit, omnia quae in articulo missionum stabilita habentur. Tempus missionum una cum renovationibus spiritus erit a principio Novembris usque ad Quadragesimam et a Paschale [tempore] ad medium Junii, ita ut periodum [=periodus] missionis non excedat spatium 6 mensium, scilicet juxta decretum Capituli, parte I, n. 4 (16), quod sancte observari debet, ne nec spiritus nec corpus nimis laboribus frangantur (17).

[23] XXIII. Expensa fieri debent ab illa domo, ex qua missio procedit; et ab illius Rectore etiam destinabitur superior missionis, nisi aliter decreverit Superior generalis.

[24] XXIV. Absoluto missionum cursu, superior formabit brevem, sed distinctam relationem circa numerum peractarum missionum et earum effectuum [=effectum] cum annotatione morum, quos missionis individua exhibuerunt, quas [=quam] Superiori generali mittet.

## Capitulum Secundum

### De Servitio divino in Ecclesia (18)

[25] I. Quando Institutum nostrum pro scopo habet missionum [=missiones] et exercitia domestica, Regula vult, ne derelinquamus animas illarum regionum ubi [domus] fundatae sunt, sed assistamus illas in spiritualibus op[e] confessionum, catechismi, concionum, aliisque modis quos Institutum nostrum exhibet. Propterea Patres solliciti sunt, ut diebus confessionum in ecclesiam ||5|| rite veniant et administrent sacramentum Poenitentiae vel Eucharistiae. Et ut procedatur in ordine, Rector poterit omni Sab-

(14) Lapsus scriptoris; intenditur hic levamen corporis.

(15) Statutum fere idem in Const. Cap. gen. 1793; AICG 128, n. 335, 19.

(16) Vide hoc Capituli gen. 1785 decretum in AICG 68, n. 154.

(17) Cfr CR 14 sub g; GRR 135 sub g.

(18) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 130-131, nn. 340-342: Capo II. Degli Esercizj da farsi nella nostra Chiesa.

bato vesperi nominare unum vel duos Patres, qui illa hebdomade in ecclesia assistant, exposcente quodam casu, si v.gr. vocati fuerint a Fratere sacristano vel a janitore; modo non sint poenitentes, qui particularem quemdam nostrum desiderent (19).

[26] II. Missae dicantur in ordine, ne populus frustretur commo audiendi illas, et quidem celebrentur usque ad certam horam convenientem, praecipue ubi datur concursus populi, et in hoc puncto Rector localis imponere poterit ordinem quem magis oportunum duxerit (20).

[27] III. Expositio SS.mi Sacramenti singulis diebus fiat juxta decretum Capituli, parte I, n. 5 (21), nisi fiat illa in ecclesia parochiali; et si fiat in nostra ecclesia, propterea non intermittantur solitae functiones concionum, discursuum et catechismi, prout Regula ordinat (22). Rectoris pariter erit sustinere et conservare congregationes particulares in salutem animarum stabilitas, imo promovebit illas pro iudicio suo, vel curam illarum dabit cuidam Patrum, qui zelo et spiritu prae caeteris se distinguat. Communitas insuper tenetur intervenire ejusmodi functionibus et novenis a Directorio particulari stabilitis (23).

[28] IV. Quovis anno, stato dumtaxat tempore, permittente loco et nullo alio intercedente impedimento, instituentur in ecclesiis nostris exercitia publica cum populo, quae in forma solita fiant et non nisi 8, ad summum 10 dies durare debent (24).

[29] V. Ultra illa exercitia spiritualia, quae dantur ecclesiasticis aut ordinandis aut etiam aliis individuis juxta ipsorum Directorium (25), adesto in omni domo Pater, cujus sit assistere illos, qui extra tempus soli in secessu facere vellent exercitia spiritualia (26).

(19) Prima pars huius paragraphi (usque ad « sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae ») fere ad verbum in CR 12 sub a; GRR 133 sub a.

(20) CR 12 sub b; GRR 134 sub b. Ad verbum.

(21) Vide hoc Capituli gen. 1785 decretum in AICG 68, n. 153.

(22) Regula CSSR an. 1749, parte I, cap. II. Cfr *Spic. hist.* 16 (1968) 416.

(23) Idem statutum, sed cum quibusdam mutationibus in prima sententia, in CR 13 sub c; GRR 134 sub c.

(24) CR 13 sub d; GRR 134 sub d. Ad verbum.

(25) Etiam hoc Directorium nos latet.

(26) CR 13 sub e; GRR 134 sub e. Ad verbum.

## Pars Secunda

[DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS CONGREGATORUM]

### Capitulum Primum

De Obligationibus particularibus Congregatorum  
et quidem in primis  
de Voto Paupertatis et Vita communi perfecta (27)

[30] I. In Instituto nostro sancta et inviolabilis observetur vita perfecta communis et omnis so[1]licite removeri debet particularitas, quae huic obesse posset. Domus respectivae suppeditabunt individuis suis quaecumque necessaria ipsis occurrant, sed semper juxta regulam sanctae paupertatis; ideoque quisque nostrum, sanus vel infirmus, provideatur victu et habitu [vestis] reliquisque necessariis. Hunc in finem prohibitum est expresse habere in cubiculo suo rem propriam et particularem, sint lintea (28) quibus actu nullus fieret usus, vel edulia, v.gr. cioccolata, caffè, bellavia [= bellaria], placentae (29), tabacus vel quidquid aliud; nam omnia prorsus occurrente casu necessitatis, peti debent a superiore vel a destinato officiali. Si quis nostrum aliquid dono acceperit, immediate illud tradet superiori, ut communitati incorporetur (30).

[31] II. Cum Capitulum oportunum judicaverit cuique nostrum certum assignare numerum linteorum, ut omnis inconvenientia evitetur, et cum etiam quisque nostri Instituti habeat suas vestes et exteriores et interiores, pro- ||6|| hibetur superiori quid retinere de illis, si quis nostrum ex una in aliam domum migrare debuerit; nam quae aliquando ipsi assignata sunt, illa etiam, quocumque iverit, secum portabit.

[32] III. Prohibitum est Congregatis, idque sub gravi poena, sub expulsionem ex Congregatione, etiam habere apud se vel in mani-

---

(27) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 131-133, nn. 343-357: Capo I. Sugli Obblighi particolari de' Congregati e prima del voto di povertà e perfetta vita comune.

(28) Vestes, praesertim interiores.

(29) Cibaria dulcia.

(30) CR 15 sub a; GRR 135 sub a. Fere ad verbum.

bus cujusdam alius individui, sub quocunque demum titulo, in domo ipsa vel extra domum, pecuniam ut de illa pro arbitrio suo disponere possint, nec licet habere pecuniam in cassa depositi sub titulo restitutionis vel sub quocunque alio, quin talis adsit reapse; idem valet de rebus aliis, quae sint magni valoris et pretii. Nec Rector poterit Congregato permittere quantamcunque summam numerorum in proprium ejus usum, nec etiam concedere ut sibi emat vel ab aliis emi curet aliquid, vel pecuniam sibi mitti procuret aut a respectiva familia aut ab alio quodam individuo, nisi voluerit illam submittere arbitrio superioris (31).

[33] IV. Rector et Minister, neuter habeat pecuniam absconditam, vel in cubiculo suo. Omnis enim pecunia debet esse deposita in cassa depositi, ex qua singulis diebus exigua illa summa quae in expensas pro die illo necessaria creditur, accipietur; hancque pecuniam penes se habere poterit vel Rector vel Minister.

[34] V. Superiores, si tamen sancta paupertas et conservatio vitae perfectae communis ipsis cordi sit, noli[n]t unquam concedere Congregatis licentias generales utendi perpetuo re aliqua, qualiscunque illa sit, sed ipsis detur, sicut oc[c]urrat; excepta quadam re, quae forte cuidam Congregatorum per aliquod tempus omnino indispensabilis esse posset (32).

[35] VI. Inculcantur Rectoribus et superioribus charitas et amor adversus Congregatos; succurrant illis cum affectu in quovis casu necessitatis, praecipue cum jussu Superioris generalis vel in negotiis communitatem respicientibus iter suscipere debuerint, instruantque eos rebus necessariis, ne in via coacti sint ab aliis sibi illas prospicere aut victum et vestes aliunde procurare. Sed Congregati semper reminiscantur s. paupertatis qua obstricti sunt. Superiores generales huic articulo attentissimi invigilent, nec desint corrigere et punire superiores illos, qui vitio tenacitatis circa haec fuerint deprehensi negligentes. Si autem quidam Congregatorum desideraverit proficisci domum suam propriam vel alio, idque in negotiis quae nec ad Congregationem nec ad communitatem se referant, in hoc casu Rector concedere ipsi poterit licentiam, ut ne-

(31) CR 15 sub b; GRR 136 sub b. Fere ad verbum.

(32) CR 16 sub c; GRR 136 sub c. Fere ad verbum.



cessaria sibi procuret a domo sua propria; non enim tenetur Congregatio subministrare quid in simili genere itineris (33).

## Capitulum Secundum

### De Mensa communi et Lectione spirituali (34)

[36] [I.] Mensa esto communis nec dominetur in illa particularitas circa qualitatem et quantitatem ciborum, nec ratio habeatur quo munere ||7|| Congregati fungantur. Excipe infirmos actuales et convalescentes, juxta spiritum christianae charitatis omnino tractandos. Et si quis nostrum vel incommodi cujusdam causa vel indispositionis naturalis ergo vesci non posset aliquo cibo communi, Rector aut Minister utetur omni attentione, ne Congregati habeant de quo querantur.

[37] II. Nulli Congregatorum, nisi Rectori vel superiori actuali, in mensa dare licet alteri quod ipsi assignatum sit, si non cum expressa licentia. Inculcatur Congregatis, ne ita faciles sint in exposcenda re ab altero; superiores autem nolint eam semper concedere, nam ejusmodi particularitates facile produciunt umbram admirationis. Ita mos ille antiquus nullo modo negligendus [est], qui vult, ne quis inter mensam poscat quod forte per negligentiam Fratris servientis defuerit, nam vicinus poterit illud petere pro ipso, vel significare quod deest illi, qui ad mensam servit. Panis, aqua, culter, cochlear etc. a quoque posci possunt.

[38] III. Vespere diei Jovis ante benedictionem mensae, stantibus Congregatis omnibus in locis suis respectivis, legitur Evangelium ab hebdomadario: « Ante diem festum Paschae » (35). Hoc finito et sedentibus omnibus, Rector vel alius osculator pedes Choristarum; idem faciet Minister vel quis alius Fratribus servientibus. In domo novitiatus id peragito Magister cum novitiis (36).

[39] IV. Exceptis die Jovis et diebus recreationis, in quibus post brevem lecturam dispensabitur de silentio, ceteris diebus au-

(33) Prima pars huius paragraphi (usque ad « fuerint deprehensi negligentes ») ad verbum in CR 16 sub d; GRR 136 sub d.

(34) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 133-135, nn. 358-359: Capo II. Della Mensa comune e Lezione spirituale.

(35) Io. XIII 1-15.

(36) CR 16 sub e; GRR 137 sub e. Fere ad verbum.

tem omnibus, et mane et vesperi, fiat lectura. Et quidem, postquam mane lecta fuerint non nulla ex Sacra Scriptura, id quod fiat aperto capite omnium et stantibus omnibus, usque dum superior signum dederit, legitur Martyrologium ejusdem diei vel vita cujusdam sancti vel historia ecclesiastica vel alius quicumque liber spiritualis. Vesperi, cum lectus fuerit liber qui tractet de eminentiis et virtutibus Beatissimae Virginis Mariae, rursus, dato signo, legitur ex libro qui lectus fuit mane. Die Sabbati autem legitur vesperi potissimum de Regulis et Constitutionibus et postea aliquantulum de gloria Beatissimae (37).

[40] V. Inter secundam mensam, praesentibus Congregatis tribus, fiat eadem lectura spiritualis quae inter prima[m] fuit, exceptis diebus supra commemoratis; sed sit solum de vita cujusdam sancti et durato usque dum manducare finierit Congregatus ordine primus mensae assidens. Terminata mensa et lectione, illi qui remanent, poterunt loqui, sed submissa voce et absque minimo rumore (38).

### Capitulum Tertium

#### De Vestibus Congregatorum (39)

[41] I. Congregati omnes eodem modo vestiti incedant. Vestis confecta sit ex tela lanæa, Germanis *Rasch* (40), Gallis *sergette*, clausa in pectore uncinis ferreis parvis, et manicae sint arctae cum tribus nodulis ejusdem materiae; eadem semper veste utantur Congregati. Collare eidem vesti uniforme esto, aliquantulum altum, juxta personam individui, cum supercollari albo ex tela simplici absque plica vel colore, et quasi totum collare vestis contegat; illudque solis Choristis permittatur, nam circa Fratres servientes in posterum observantur quae Constitutiones Capituli decreverunt (41).

(37) CR 17 sub f; GRR 137 sub f. Fere ad verbum.

(38) CR 17 sub g; GRR 137 sub g. Aliquantulum accuratius determinatum.

(39) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 135-137, nn. 360-362: Capo III. Del vestire de' Congregati.

(40) Tela lanæa peculiari modo confecta. « Ein größerer Kammgarnstoff in 4bindigem Köper; *Der Grosse Brockhaus* IX (1956) 543. Vox derivata videtur a civitate Arras in Gallia.

(41) Aliquomodo melius determinatum est hoc statutum a 2<sup>a</sup> sententia (« Vestis confecta sit ») in CR 18 sub a; GRR 138 sub a. Ad hoc statutum habetur sequens notitia examinatoris: « Foglio 6, cap<sup>o</sup> 3, n<sup>o</sup> p<sup>o</sup>, circa li Laici. Si ponga la riforma fatta dallo stesso E.mo Ponente [Card. Ghelini], sotto li 17 Xbre '84 » (AG II D 94<sup>bis</sup>, sub i).

[42] ||8|| II. Cingulum consistet ex fimbria panni et vestis superior, Italis *zimarra*, ex panno ordinario. Pallium poterit esse vel ex panno vel ex tela lanæ (*Rasch*), cum collari alto collum circumcumeunte et ligula lanæ absque vanitatis indiculo; etiam tempore aestatis Congregati nunquam exire debent absque pallio, sed poterit esse et arctius et subtilioris lanæ. Calcei porro sint simplices, instructi nodulis ex pelle confectis ad usum stringendi calceamenta ad pedes. Pileolus, vulgo *Soli Deo*, non permittitor e materia setæ (42), sed poterit esse e lanæ subtilioris panno, neque esto minium [= nimium] parvulus ad morem quorundam ecclesiasticorum, sed sit grandiusculus; nec in centro suo in conum vel acumen protendatur, verum ad capitis formam sphaericam figuram praeferat. Biretum esto ex eadem subtiliori lanæ materia, intus suffulturam e tela lanæ nigri coloris habens. Galerus esto adaequatus reliquo vestitui, id est: non praetiosus; prohibetur usus gale[r]orum triplicatorum (43).

[43] III. Baculus, si quis baculo utatur, sit ex simplici ligno absque pomo aut alio ornamento, solum cum traverso, vulgo *Krücke*; si tamen baculorum usus ibidem introductus sit (44).

[44] IV. Tibialia sunt coloris obscuri, ex lana tempore hiemali, tempore aestivo ex filo duplicato vel xylyno (45). Usus tibialium alborum non omnino prohibetur, sed etiam atque etiam commendatur Congregatis [ut] respicere velint et locum ubi sunt et honestate[m] sacerdotalem; quapropter vetitum est exire domo in simili amictu, eo magis celebrare Missam, confessiones excipere, vel alias quascunque in ecclesia peragere functiones.

[45] V. Vestes interiores (subuculae) conficiuntur pro ratione temporis vel ex panno vel ex tela; sunt autem coloris modesti et

---

(42) Seta, vel saeta: crines rigidi. Hic tamen significatur bombyx, italice *seta*. Cfr Const. Cap. gen. 1793: « Il berrettino, detto volgarmente *mezza testa*, non sarà mai di seta, ma di stamini »; AICG 135, n. 360, 3.

(43) Idem statutum, sed forma breviori, in CR 18 sub b; GRR 138 sub b.

(44) CR 18 sub c; GRR 138 sub c. Deest ultima sententiae pars (« vulgo *Krücke* » etc.); reliqua ad verbum.

(45) Xylinus = ligneus, ex ligno seu arbore. « Xylinum linum, genus lini candidissimi et mollissimi, nascens in frutice, cui nomen xylon... *bambagia, cotone* »; FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis* IV, Patavii 1940, 1048.

decentis. Muccinia (46) erunt ex tela sufficienti et coloris albi, caerulei vel obscuri.

[46] VI. Vestis Choristarum esto longa et quasi calceum tegat; idipsum valet de zimarra et pallio. Vestis autem Fratrum servientium facta sit illorum juxta Constitutionem (47).

[47] VII. Omnes Patres et Fratres gestabunt ex latere sinistro rosarium 15 decadum, filo ferreo incatenatum, consistensque ex granis frutillae et non ex alia materia. Poterunt etiam ex collo gestare crucifixum ex orichalco, sed sit simplex cum cruce ex ligno ordinario et cum linea ex lana nigra (48).

[48] VIII. Novitii choristae iisdem quibus Patres et professi utentur vestibus, excepto bireto.

[49] IX. Inviolabilis servetur mos tonsurae et capillorum brevium, prout nunc viget; et Rectores invigilent, ne abusus in his irrepant (49).

[50] X. Usus rerum ex auro seu argento confectarum vetitus est, et in communi et in particulari; permittitur tamen, imo oportet habere aliqua [utensilia] ex argento, v.gr. cochlearia etc., sed solum certorum majoris distinctionis virorum gratia, qui domos nostras interdum solent invisere (50).

[51] XI. Prohibitum est omnibus habere thecas reliquiarum argenteas, crucifixa vel figuras multo pretio comparatas aut pyxidulas ad tabacum coloris immodesti et sacerdoti inconvenientes (51).

[52] XII. Singulis duobus annis Congregati habebunt novam vestem, nisi finito hoc termine individuum aliquod adhucdum satis

---

(46) Lintea quibus exergetur nasi mucus. Italice: *fazzoletti*; germanice: *Taschentücher*.

(47) Haec Constitutio Fratrum servientium nos latet. Vide Decreta Capituli gen. 1785 circa Fratrum laicos in AICG 68-69, nn. 158-162. Constitutio Fratrum servientium in Const. Cap. gen. 1793, AICG 159-161, nn. 417-422; *ibid.* 136, n. 360, 6 circa vestem breviorum.

(48) CR 19 sub d; GRR 139 sub d. Aliquantum accuratius determinatum.

(49) CR 19 sub e; GRR 139 sub e. Ad verbum.

(50) CR 19 sub f; GRR 139 sub f. Ad verbum.

(51) CR 19 sub g; GRR 139 sub g. Fere ad verbum.

congruenter ||9|| vestitum sit juxta sententiam consultationis respectivae domus; sic exposcente casu necessitatis positivo etiam ante decursum 2 annorum novae dabuntur vestes. Et Congregatis licebit retinere et vestem et zimarram veteres, ne novas semper portare teneantur.

[53] XIII. Respectu vestium interiorum Rector domus una cum suis duobus Consultoribus et Admonitore duabus vicibus quotannis visitabit Congregatos et quidem mense Martio aut Aprili, an vestes pro aestate habeant sufficientes, et mense Septembri, an quid desit in hiemem instantem. Et quisque providebitur postea rebus quibus caret. Prohibitum est Congregatis procurare sibi vestimenta nova, idque citra hoc stabilimentum [= statutum]; et si quis forte extra domum ipsis obtulerit vestem cujuscumque speciei, debent illam, quam primum domum venerint, tradere Rectori, qui dabit eam illi nostrum, qui omnium maxime illa indigerit.

[54] XIV. Quaelibet domus tenetur subjectis, qui in illa ad commorandum assignati sunt, providere de omnibus vestibus necessariis (52).

## Caput Quartum

### De Cubiculis eorumque Mobilibus (53)

[55] I. Cum collegia aut domus novae extruuntur, Congregatorum cubacula non continebunt in longitudine palmos romanos (54) magis 18 et 15 in latitudine. Unum quisque solum habeat cubiculum. Superior generalis habebit hypocaustum (juxta stabilimentum [= statutum] Capituli), in quo excipiat qui nostros invisant; praeterea habebit suum cubiculum, quod autem reliquis omnino sit

(52) Nota examinatoris ad hoc statutum: « Foglio 7, n° 14, si ponga: La casa da dove parte, sia obbligata corredarlo di tutte le vesti, tanto esteriori che interiori, che almeno non debbano rinnovarsi per lo spazio di sei mesi, con dargli anche tutti quei panni, tanto d'inverno quanto d'estate, che gli sono stati assegnati per special comodo ed uso » (AG II D 94<sup>bis</sup>, sub i).

(53) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 137-138, n. 363: Capo IV. Delle Stanze e suoi Mobili.

(54) 1 palmo romano = 0,223 422 m; cfr A. FERRARO, *Dizionario di metrologia generale*, Bologna [1965], 218.

uniforme. Etiam Procurator generalis habebit hypocaustum in quo fieri poterunt visitae [= visitationes], et cubiculum a parte. In cubiculis non licet habere picturas variorum colorum vel aliud ornamentum quod repugnat paupertati an [= aut] simplicitati religiosorum.

[56] II. Mobilia se habebunt juxta Regulam et non alia. In mensula permittitur solum quidam parvus pluteus, in quo reponantur libri necessarii et liciti. Pari modo permissae sunt claves particulares cubiculorum, ut nempe declinetur omnis inconvenientia et claudi possit janua ab exeunte, ne cuique pateat ingressus. Rector autem habebit clavem consimilem, ut dato casu necessitatis intrare possit cujusque Congregati cubiculum. In quovis cubiculo concessae sunt tres sedes solae, eaeque ordinariae et simplices; plures earum autem habere poterunt in cubiculis suis Rector, Minister, Magister novitiorum, Praefectus studiosorum, Assistentes generales, Consultores et Procurator generalis. Lectus esto super 2 trabes transversas, vel ferreas vel ligneas, omnino absque ornamento et absque velis, habebitque in longitudine palmos romanos 8 et 4 in latitudine. Et inter imagines reperiatu semper figura Beatissimae. Quisque habeat etiam aquam benedictam in vase prorsus simplici, nec non clepsammidium (55) pro commodo suo. Candelabrum poterit esse ex lamina ferrea vel ex orichalco. Mensula erit confecta vel ex nuce vel alio quocunque ligno, modo simplici et absque ornamento, cum oculis vel alio commodo subtus, in quo scripta aliaque servari possint, idque in forma scrinii, quod poterit continere in longitudine palmos  $5\frac{1}{2}$ , in latitudine  $3\frac{1}{2}$ . Crucifixum vel ex ligno vel ex charta pinsata (56) sit magnitudinis competentis. In omni cubiculo erit etiam scabellum et locus cum clavi, ex quibus [= quo] suspendi possint vestes. Rectori et Ministro per- ||10|| missum est habere claves ad illos loculos seu scrinia, in quibus scripta aliaque servantur. Respectu Procuratoris generalis et Consultorum observabitur quantum decretum est a Capitulo.

(55) Probabiliter: clepsedriam, vel clepsedrariam, i.e. horologium quo aquae guttibus vel arenae granulis temporis spatia terminantur. Italice: clessidra. Vide textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 137, n. 363, 3: « Si terrà in camera una fonticella di creta o di rame per l'acqua benedetta... e un orologio a polvere per comodo di ciascuno ».

(56) Italice: carta pesta.

## Caput Quintum

### De Reditibus et Expensis (57)

[57] I. Ille cui commissa est cura libri redituum, debet praeesse officio suo summa exactitudine, imo sub poena remotionis ab officio injungitur ipsi, ut in memorato libro notet non solum reditus fixos, sed etiam eos, idque distincte, qui emergunt ex elemosinis extraordinariis, ex Missis, praecipue adventitiis, adscribendo simul quantitatem et diem et mensem, et quis ordinaverit illas et si respectiva illa Missarum elemosina jam sit accepta vel adhuc accipienda.

[58] II. In alio libro distincto registrari debent expensae et quidem non solum summa pecuniae, sed etiam quantitas frumenti, olei etc. eo die dispensati. Erit insuper liber manualis, cui inseri debent expensae generales quotidianae, vel ab Oecono vel a Ministro factae; hoc enim modo non solum singulis mensibus Rectori aut Consultoribus, sed etiam quotannis Visitoribus rationes reddi poterunt.

[59] III. Peculium generale custodietur a Procuratore generali, sed semper cum eadem lege cassae depositi et 3 clavium, quarum unam habebit ipse, reliquas duas duo primi Consultores. Procurator generalis nullam poterit accipere pecuniam nisi cum consensu Superioris generalis ejusque Consultorum, ut sciatur id quid illa pecunia impendatur, nam salus Congregationis generalis unico scopo debet esse Superiori generali; sic licitum erit succurrere nummis alicui domui particulari.

## Caput VI

### De Voto Castitatis (58)

[60] [I.] Congregatis omnibus commendatur religiosa custodia sensuum et virtus sanctae modestiae, praecipue cum necessarium fuerit loqui cum individuis diversi sexus. Cumque haec virtus

(57) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 138-139, n. 364: Capo V. De' Registri dell'Introito ed Esito d'ogni Casa.

(58) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 139, n. 365: Capo VI. Del Voto di Castità.

cuique operariorum evangeli[c]orum quam maxime cordi esse debeat, omnes plane oc[c]asiones evitari debent, non solum illae ex quibus animae detrimentum oriri possit, sed eae etiam ex quibus admiratio nasci queat. Quapropter omnibus prohibe[n]tur visitae [= visitationes] non necessariae in familiis saecularium, nisi conven[ien]tiae casus illas expostulet; fiant insuper cum socio a superiore destinato, idque horis propriis, nam sub solis occasum quisque Congregatorum domum sese recipere debet (59).

[61] II. Congregatus vocatus vel missus auscultatum confessionem infirmi, id fiat semper summa cum circumspectione, id est non solum praesente socio, sed etiam porta aperta in conspectu socii, in distantia vero tali, ne poenitens aut confessarius audiri ab aliis possint (60).

[62] III. Nulli Congregatorum sit licitum tangere et contrectare manibus ||111|| aliquem, nisi adfuerit casus indispensabilis necessitatis aut charitatis. Interdictum autem est sub quocunque vel etiam honestissimo titulo blandiri pueris aut illos conducere in cubacula propria doctum eos vel eorum peccata exceptum, nam ejusmodi functiones non nisi in ecclesia vel in alio loco in hunc finem destinato peraguntur. Hujus virtutis gratia nostri non intermittant studere servandae modestiae tantum in induendo quantum [in] exuendo vestes. Dormiendo utantur indusio et caligis nocturnis. Nolint esse in cubiculo aut exire [ex] illo absque veste et cingulo, cum quisque decenter vestitus ubique comparere debeat. Hujus virtutis transgressores oportet semper puniri; imo ultra castigationem ordinariam, si contumacia adfuerit, quam Deus avertat, refractarius, Pater vel Frater, dimittitor ex Congregatione, et omnino superioris est summa severitate procedere adversus id genus individua (61).

## Caput VII

### De Obedientia (62)

[63] I. Cum Regula velit ut Congregati perfectam praestent obedientiam Ordinario respectivo, idcirco quod concernit opera mis-

(59) CR 24 sub a; GRR 143 sub a. Fere ad verbum.

(60) CR 25 sub b; GRR 143 sub b. Aliquantum accuratius determinatum.

(61) CR 25 sub c; GRR 143 sub c. Modo breviori et aliquantum mutato.

(62) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 139-141, nn. 366-369: Capo VII. Della Ubbidienza.



sionum, dummodo aliquid non sit a Constitutionibus prohibitum aut secus mandatum, omnem ei debent submissionem et dependentiam. Sunt parati ire quocumque ad missiones mandati fueri[n]t, facere quae hic (Ordinarius) voluerit et non facere, quae idem noluerit in ministerio verbi divini, ut scilicet ipsorum actiones non solum in majorem Dei gloriam et salutem animarum, sed etiam in propriam suam satisfactionem cedant (63).

[64] II. Quod ad superiores attinet, eam illorum jussis et dispositionibus exhibere tenentur nostri reverentiam et subjectionem talem, ut vere de illis dici possit quod nil propriae voluntatis habeant. Delictum magnum et severe castigandum foret, si quis Congregatorum auderet superiori praesenti reniti et obstinate reluctari, vel non facere injuncta sibi. Si forte subfuerint rationes legitimae, procedunt cum humilitate et sese permittunt decisioni superioris. Si forte fuerint inobedientes et incorrigibiles tales qui morositate sua abstinere et ad meliorem frugem se recipere nolint, ejusmodi individua Superior generalis dimittat ex Congregatione, quod scandalum praebent reliquis, admirationem suscitant et detrimento sunt Congregationi (64).

[65] III. Si forte superior corrigit Congregatorum aliquem et iste correctionis reum haud se credat, huic juxta Regulam non liceat nec se excusare nec defendere. Cum humilitate auscultabitur correctionem et admonitionem, imo poplite flexo, juxta morem solitum, auscultetur reprehensionem sui. Si autem excusatio sui Congregato omnino videatur necessaria, fiat, sed non nisi post decursum aliquorum dierum, idque in secreto et absque recordatione correctionis quam sustinuit (65).

[66] IV. De superiore sermo nunquam fiat nisi cum summa reverentia, quod ipse vices Jesu Christi agit et sustinet; omnis enim murmuratio ||12|| repugnat reverentiae. Si murmuratio contigerit, notificetur Admonitori, eum in finem assignato vel a Regula vel a Superiore generali (66).

---

(63) CR 26 initio; GRR 144, 2° paragrapho. Cum quibusdam levioribus mutationibus.

(64) Prima sententia deest et reliqua (« Delictum magnum » etc.) meliori forma latina redacta in CR 26 sub a; GRR 144 sub a.

(65) CR 27 sub b; GRR 145 sub b. Modo clariori et elegantiori forma latina redactum.

(66) CR 27 sub c; GRR 145 sub c. Aliquantum clarius redactum.

[67] V. Cum quis Congregatorum loquitur Admonitori [= superiori], Patres sunt absque beretta [= bireto], Fratres absque mitra (67), et in hoc puncto melius est ecedere [= excedere] fines urbanitatis quam negligere illos. Cum superior comparuerit, surgant de sede, nec praesente ipso sedeant, nec sedeant nisi primus sederit aut sedere jusserit. Patres superiori obviam facti, berettam [= biretum] demant, et Fratres non solum berettam demunto, sed etiam gradum, usque dum praeterierit, situnto; Fratres autem servientes demunto etiam mitram. Domo exiturus vel domum reversus accedito superiorem rogatum benedictionem, dicendo: «Benedic, Pater», idque flexo genu uno.

[68] VI. Si reverentia tanta exhiberi debet Rectoribus localibus et superioribus, eo major debetur Superiori generali, patri omnium et capiti Instituti totius. Illius signa, vel manu vel capite vel oculo data, sunt cuique legi. Hinc et Rectores et superiores nolint parcere illis qui in reverentiae articulum peccaverint; sic punitione pariter dignus haberetur superior, qui jussa Superioris generalis non absque mora exsequatur. Si quis obviam ipsi factus fuerit, sisto gradum, donec praeterierit, et si quis habeat quod ipsi proponat, fiat aliqua quasi genuflexione.

[69] VII. Obedientias formales solus Superior generalis concedere potest, easque cuique Congregatorum et in quacunque domo iste fuerit; idem jus habent Visitor tempore visitationis, Rector localis respectu subditorum suorum, etiam superiores missionum, nunquam autem Minister in qualitate Ministri (68).

[70] VIII. Ut omnis evitetur inconvenientia quae ex distantia loci in obedientiis Superioris generalis emergere posset, cum iste cuidam Congregatorum forte aliquid imponat, quod ex motivis justis et gravibus Rector localis executu impossibile credat, iste poterit suspendere obedientiam datam, sed notificabit absque mora Superiori generali, a quo expectabit ulteriorem decisionem vel novam confirmationem obedientiae datae. Haec autem suspensio non fiat a Rectore nisi vera et gravi [ratione] motivoque urgente, et tunc solum quando ejus momenti intervenerit circumstantia, quam

(67) Tegumentum capitis. Italice: berrettino, zucchetto.

(68) Idem statutum, aliquomodo mutatum et Capituli decreto (AICG 70, n. 164) expletum, in CR 27 sub d; GRR 145 sub d.

si Superior generalis praescivisset, obedientiam primam non dedisset.

## Caput VIII

### De Facultate scribendi Epistolas et aliis punctis Regularum (69)

[71] [I.] Quod ad litteras spectat, observantur quae statuta sunt circa illas a Capitulo decretorum [= Capituli decretis], parte II, n° 7 (70).

[72] II. Si quis Congregatorum scribat Superiori generali epistolam quae silentium exigit, super eam scribat :

[73] III. Signum « Soli ».

[74] IV. Duo casus efficiunt notam « Soli ». 1 - Si quid requiratur secretum; 2 - Si scripta aliis revelari non conveniat.

[75] V. Cum alia, eaque minoris momenti, quae silentium non exposcant, perscribenda ||13|| sunt et quidem eodem tempore, scribatur altera epistola a parte (71).

[76] 1°. - Vetat Regula, ne quis Congregatorum extra mensam quid bibat aut manducet absque licentia superioris expressa, id est : Rectoris domus; in cuius absentia petenda erit «Benedictio» (72) ab illo Patre, qui vices Rectoris agat. Aliquantulam parvulam refectionem potest etiam Minister alicui permittere, etiamsi Rector domi sit. Si quis necessario egeat intra diem haustum aquae et Rector cum Ministro impediti essent, poterit talis quae[rere] «Benedictionem» ab aliquo Patre, qui sit e senioribus et prior caeteris ingressu in Congregationem.

[77] 2°. - Cum quis Congregatorum fuerit extra domum et ipsi quis obtulerit cioccolatam, caffè, limoneam vel liquorem (roso-

---

(69) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 141-143, nn. 370-373: Capo VIII. Dello scrivere lettere ed altri punti di Regola.

(70) Decreta Cap. gen. 1785 circa epistulas scribendas in AICG 70-71, nn. 165-170.

(71) Statuta nn. 72-75, accuratius determinata, in CR 28 sub a; GRR 146 sub a.

(72) Benedictio, i.e. venia, licentia, permissio.

*glio* (73); de hoc solo et non de altro bibere poterit, idque solum, ne peccet in regulas convenientiae (74).

[78] 3°. - Prohibet Regula manducare in domo saecularis, nisi fuerit in itinere, vel non potuerit commode reverti domum vel mane vel vesperi, vel si visitatio facta fuerit viro magnae distinctionis, qui abeundo offenderetur; ita ordinat Capitulum, parte I, n° 4 (75).

[79] VI. Prohibitum est alius alium convenire in cubiculo suo, nisi quis confiteri, conscientiae suae propriae scrupulos exponere, aut infirmum nostrum invisere velit. Permissum autem est intrare cubicula Consultorum generalium, idque absque licentia; id autem fiat officii ergo, non vero discurrendi, conversandi et garriendi gratia. Rector aut Minister in hoc puncto non ita facile concedant permissionem, ne exinde nascantur abusus et disordines, praecipue cum quis roget hanc licentiam sub praetextu breviarii cum alio recitandi; nam hoc fieri poterit vel in capella domestica, vel in hypocausto communi, nunquam autem in cubiculo particulari. Ab hac regula excipitur Rector vel infirmus (76).

[80] VII. Si quis venisset quaeritum aliquem nostrum, janitor illum conducet in hypocaustum audientiae et simul notificabit nostro, venisse aliquem qui loqui vellet ipsi; et si iste cujusdam motivi causa non poterit auscultari illum, poterit janitor ipsum conducere in proprium cubiculum, indicando simul Rev.do Patri Rectori. Excipiuntur autem individua majoris distinctionis, quibus directus pateat aditus ad quem nostrum desideraverint (77).

## Caput IX

### De Voto Perseverantiae (78)

[81] I. Obligatio voti et juramentum [= juramenti] perseverantiae fiunt in favorem Congregationis et implicant sub peccato

(73) Rosolio, ex lat. *ros solis*: liquore poco alcoolico, ma molto zuccherato.

(74) Cfr CR 9 in fine; GRR 131 in fine.

(75) Vide hoc Capituli gen. 1785 decretum in AICG 67, n. 152. Cfr CR 9 ult° paragrapho; GRR 131 ult° paragrapho.

(76) CR 29 sub b; GRR 146 sub b. Aliquantum accuratius determinatum.

(77) Cfr CR 32, paragraphum litteris minoribus inclinatis impressum; GRR 149 initio.

(78) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 143-144, n. 375; Capo X. Del Voto di Perseveranza.

gravi perseverantionem [= perseverantiam] in illa usque ad mortem; Congregatio autem tenetur sustinere quemque Congregatorum donec vixerit (79).

[82] II. Ab hoc juramento praeter Summum Pontificem et Superiorem generalem nemo dispensare potest; ita habet Regula et privilegium Congregationis. Et qui ad S. Sedem recurrere velit, debet semper, ut valido et licito modo dispensationem obtineat, in petitione sua exponere obligationem quam virtute juramenti contraxit. Et quia penes Superiorem generalem residet facultas dimittendi ex Congregatione libertinos, si jam foret Congregatorum ||14|| unus qui ex consilio committeret excessus et quidem eum in finem solum ut a votis dispensetur et licentietur, hujus furfuris Congregatus non solum eo ipso momento quo tale consilium concipit, gravis culpae reum sese reddit, sed eo ipso momento etiam obligatur compensare Congregationi [ea] quae pro ipso expendit; id ipsum valet de illis qui Congregationem ingrediuntur cum animo valedicendi ipsi, quam primum ordinati fuerint presbyteri (80).

[83] III. Sub praecepto formali obedientiae juxta decretum Capituli et sub iisdem poenis ibidem intimatis, parte III, n° 11 (81) prohibetur, ne quis Congregatorum, cum extra domum Congregationis versatur, dispensationem voti et juramenti petat, nam haud possibile est cum individuo haud praesenti adoperari illa remedia salutaria, expedientia et efficacia, quibus in rectam semitam, a qua deflexit, reduci valeat (82).

[84] IV. Si quis Congregatorum desideret ire se prostratum ad pedes Superioris generalis, idque vel ex motivis suis privatis vel necessitatis spiritualis ergo, vel demum ex quocunque alio capite, id facere non poterit, nisi primum obtinuerit licentiam in scriptis; nec Rector localis ejusmodi licentiam concedere potest, nisi domus, in qua postulans existit, una alterave solum hora distet a loco, ubi Superior generalis commoratur (83).

(79) CR 33 sub a; GRR 149 sub a. Fere ad verbum.

(80) CR 33 sub b; GRR 149 sub b. Ulterius et accuratius determinatum.

(81) In Decreto allegato (AICG 64, n. 134) aliud argumentum tractatur.

(82) CR 34 sub c; GRR 150 sub c. Aliquantum accuratius determinatum et meliori forma latina redactum. - Ut videtur, ad hoc statutum pertinet notitia examinatoris: « Foglio 12, n° terzo. Si cancelli affatto » (AG II D 94<sup>bis</sup>, sub i).

(83) CR 35 sub d; GRR 150 sub d. Fere ad verbum.

## Caput X

### De Renovatione Voti (84)

[85] I. Duabus vicibus quotannis fiat renovatio voti et iuramenti, et quidem prima in festo Nativitatis Jesu Christi, altera in festo SS.mi Redemptoris. Et Rector quavis vice instituet brevem exhortationem, qua animabit Congregatos ut magis magisque se cum SS.mo Redemptore concilient et uniant obligationibus quas vota ipsis imponunt; reminiscantur, ex (85) maturo animo perpendant fructus salutare, qui ipsis hujus renovationis virtute maneant (86).

[86] II. Ultra has renovationes duas publicas, e re erit fa[ce]re plures in anno quisque pro se, imprimis quoque [die] 25 mensis et recurrentibus festis solemnioribus Domini nostri et Beatissimae Virginis Mariae (87).

### Formula renovationis votorum (88)

[87] Ego N. N. Congregationis SS.mi Redemptoris, in praesentia divinae Majestatis, beatissimae Virginis Mariae, sancti Josephi et sanctorum omnium, renovo vota paupertatis, castitatis et obedientiae una cum voto perseverantiae, quae die susceptionis mei [= meae] absolvi, eaque hodie rursus ratifico et confirmo in modo et forma a Regula, Constitutionibusque et privilegiis expressis, cum firmissimo proposito permittendi (89) me totum Jesu [= Jesu] Christo et Congregationi. Ita me Deus adjuvet et sua sancta Evangelia. - Hic imponuntur digiti Evangelio.

## Caput XI

### De Celebratione Missae et Frequentia Sacramentorum (90)

[88] I. Vita sacerdotum nostrae Congregationis talis omnino esse debet, ut singulis diebus celebrare et quidem digne celebrare

(84) In Constitutionibus Cap. gen. 1793 breviter circa renovationem votorum in ult<sup>o</sup> paragrapho capituli X (Del Voto di Perseveranza); AICG 144, n. 375, 2.

(85) Melius: et.

(86) CR III sub a; GRR 190 sub a. Aliquantum accuratius determinatum.

(87) CR III sub b; GRR 191 sub b. Fusius explicatum.

(88) CR 112. Ad verbum. Formula renovationis votorum omissa est in GRR 191.

(89) Permittere, i.e. dedicare, consecrare.

(90) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 144-145, nn. 376-378: Capo XI. Della frequenza de' Sacramenti, Ore canoniche, Orazione ed Esercij di Umiltà.

possint. Nolint autem intermittere sese exercere in sanctis virtutibus et ut magis magisque in dies p[r]oficiscantur in spiritu puritatis, confitebuntur saltem una vice quavis ||15|| hebdomade, licet etiam positive necessarium non fuerit (91).

[89] II. In rubricis et caeremoniis ab Ecclesia praescriptis adhibeatur summa diligentia et scrupulosa exactitudo, et Rector in hoc articulo vigilantissimus esto. Missa nec nimia celeritate dici debet, nec etiam spatium dimidiae horae excedere, id quod non nisi taedium procrearet (92).

[90] III. Gratiarum actiones nunquam intermittantur, durentque ad minimum horam dimidiam, exceptis diebus festivis et missionum periodis, in quibus gratiarum actiones quadrantis horae spatium non excedant, ut nempe poenitentes satis temporis habeant ad confessiones peragendas (93).

[91] IV. Applicatio Missae semper fiat in beneficium domus respectivi celebrantis, nisi aliter ordinatum fuerit. Tempore octavae mortuorum cuique permissum est Missam applicare unam vel in beneficium animae suae propriae vel alius; similiter permissum esto cuilibet sacerdoti aliis duabus vicibus per annum ad propriam intentionem applicare, non tamen poterit acceptare a quocunque quamcunque stipem (94).

[92] V. In strictiorem observantiam rubricarum omni primo die lunae mensis lecturae [spiritualis] loco instituetur in communi exercitium practicum de modo celebrandi et serviendi Missam (95).

[93] VI. Congregati non sacerdotes ad sacram synaxin accedent juxta Regulam. Superior poterit minuere Communiones, sed multiplicare eas spectat ad directorem et confessarium cujusque, qui secundum spiritum poenitentium procedent. Poterit director conscientiae etiam aliquem interdicare Communionem citra ordinem Regulae, sed id fiat in confessione et exigente motivo justo (96).

(91) CR 36 sub a; GRR 151 sub a. Fere ad verbum.

(92) CR 36 sub b; GRR 151 sub b. Ad verbum, ommissa tamen parte finali secundae sententiae (« id quod » etc.).

(93) CR 36 sub c; GRR 151 sub c. Fere ad verbum, adiuncta tamen sententia finali.

(94) CR 37 sub d; GRR 152 sub d. Accuratius determinatum.

(95) CR 37 sub e; GRR 152 sub e. Fusius explicatum.

(96) CR 38 sub a; GRR 152 sub a. Fere ad verbum, sed ommissa prima sententia (« Congregati » etc.).

[94] VII. Accessurus ad sacram synaxin, primum post orationem communem interesto Missae et sese praeparato ad illam (Communionem) per quadrantem horae, et sumto SS.mo Sacramento rursus impendito dimidium horae in gratiarum actionem (97).

[95] VIII. Vigiliis diem Communionis antecedentibus Studentes et Fratres accedunto superiorem acceptum benedictionem, dicendo: «Benedic, Pater, in Communionem crastinam» (98).

[96] IX. In omni domo constitutus sit Praefectus spiritualis, idemque electus a Rectore, qui Fratres instruat et officium suum exerceat juxta Constitutiones illos respicientes (99).

## Caput XII

### De Confessariis (100)

[97] I. Cum vetitum sit auscultari confessiones saecularium absque praevia approbatione Ordinariorum loci, etiam prohibetur cuique nostrum, ne Ordinario sese praesentet, quin primum permissionem in scriptis acceperit a Superiore generali; qui autem id nunquam concedet, nisi duo Patres deputati antea Congregatum examinauerint, fidemque de habi[li]tate praesentandi exhibuerint (101).

[98] II. Quemadmodum in confessario saecularium requiritur approbatio Ordinarii, ita in confessario Congregatorum exposcitur specialis determinatio et approbatio Superioris generalis, et absque ista nullus nostrum audeat confessarium agere. Officium confessarii confertur plerumque in Congregatos, qui vel jam 5 annos post vota in Congregatione transegerint vel annum 6um sacerdotii expleverint (102).

[99] III. Nullus nostrum potest excipere peccata foeminarum o [= aut] monialium claustralium aut non claustralium, nisi

(97) CR 38 sub b; GRR 153 sub b. Ad verbum.

(98) CR 38 sub c; GRR 153 sub c. Ad verbum, exc. primo vocabulo («Vespere»).

(99) Cfr CR 38, primo paragrapho; GRR 152, ulto paragrapho.

(100) In Constitutionibus Cap. gen. 1793 statuta de confessariis habentur in capitulo XI (Della frequenza de' Sacramenti); AICG 144, n. 376, 2-4.

(101) CR 39 sub a; GRR 153 sub a. Fere ad verbum; adiunctum est «a Superiore generali, aut Vicario ejus».

(102) CR 39 sub b; GRR 153 sub b. Ad verbum.



instructus fuerit speciali permissione a Superiore generali, non sufficiente approbatione Ordinarii. ||16|| Superior generalis in hoc puncto summa circumspectione uti debet, nec hanc facultatem concedat nisi viri[s] exactae aetatis et spectatae probitatis, idque accedente consilio respectivorum superiorum illorumque consultorum (103).

### Caput XIII

#### De Infirmis

[100] I. In infirmorum cura quam maxime dignosci debet, qua charitate sint superior et Congregati; ideoque nolint intermittere invisere illos una saltem vice pro die, praestentque ipsis, quisque pro facultate sua, solatium corporale et confortationem spiritualem (104).

[101] II. Rector summopere sit attentus, ut Praefectus vel Infirmarius suo semper officio adsint, medici ordinationes ad amissim adimpleantur et medicinae praescripto tempore infirmis dentur. Adversus delinquentes Rector summo rigore procedere tenetur (105).

[102] III. Cum infirmi morbus videatur periculosus, ultima sacramenta in tempore ipsi dantur; sic speciali curae ipsi [Rectori] et Praefecto infirmorum esto, ut infirmus in infirmitate sua saepius sacro viatico muniatur (106).

[103] IV. Rector nolit impedire Praefectum infirmorum in executione officij sui, prout Constitutio respectiva ipsi praescribit (107). Cura insuper et attentio maxima habeatur adversus convalescentes et c[h]ronicos, ne ex negligentia justae oriantur querimoniae (108).

(103) CR 39 sub c; GRR 154 sub c. Accuratius determinatum.

(104) CR 40 sub a; GRR 154 sub a. Fusius elaboratum.

(105) CR 40 sub b; GRR 154 sub b. Elegantiori forma latina redactum.

(106) CR 41 sub c; GRR 155 sub c. Elegantiori forma latina redactum.

(107) Nos latet Constitutio Cap. gen. 1785 de Praefecto infirmorum. Cfr Constitutiones Cap. gen. 1793; AICG 167-168, nn. 433-434

(108) CR 41 sub d; GRR 155 sub d. Ad verbum.

[104] V. Infirmum moriturum [= moriturum] assistant unus vel duo sacerdotes, eumque ad mortem disponant; communitas vero fundat ad Deum preces pro felici fine ad plures [= patres] abituri, id quod fiat, dato signo, in Ecclesia (109).

[105] VI. Mortui congrue vestiti cadaver in ecclesiam portetur, comitantibus Congregatis in rachetta [= rochetto] et cum candela accensa, ubi omnia quae Rituale Romanum praescribit, observari debent. Mortuo Superiori generali non solum in domo, ubi animam expiravit, verum etiam in omnibus Instituti nostri domibus erigatur modestus et honorabilis catafalculus, simulque peragantur omnia suffragia Directorii exequiarum (110).

## Caput XIV

### De Horis canonicis et Oratione mentali (111)

[106] I. In omni domo, existente numero competente Patrum (ultra Rectorem et Ministrum adsunto ad minimum sacerdotes 4), canuntur in choro horae canonicae juxta distributionem horarii. In illarum recitatione vetitum est absolute uti aliquo cantu seu tono, nam Congregati eo tantum mentem suam intendere debent, ut recitatio fiat cum praesentia spiritus, ut vox sit unisona et pausa debito et distincto modo observentur. Excipe noctem Nativitatis Jesu Christi, tres dies ultimos sanctae hebdomadis et festa nostri SS.mi Redemptoris, in quibus secundum morem antiquum licitum erit adhibere cantum. Horae canonicae canuntur in choro singulis diebus, exceptis die Jovis aliisque diebus recreationis, modo non sint festa praecepti [= de praecepto], nam hoc casu existente dispensabitur a Vesperis et [*cetera desunt*] (112).

[107] II. Regula vult fieri orationem mentalem tribus, iisque diversis vicibus in die, scilicet mane et vesperi in communi, tertia vice in propriis cubiculis. ||17|| Singulis inculcatur exacta hujus regulae observatio et nolint abstinere illa ob quam levissimam

(109) CR 41 sub e; GRR 155 sub e. Paulo accuratius determinatum.

(110) CR 41 sub f; GRR 155 sub f. Paulo accuratius determinatum et elegantiori latina forma redactum.

(111) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 145, n. 379: Capo XII. Delle Ore canoniche ed Orazione mentale.

(112) CR 42-43; GRR 156 initio. Accuratius et fusius determinatum.

causam intervenientem. Rector in hoc puncto esto exactissimus, nec faciles praebeto aures [eo] qui forte exemptionem roget (113).

[108] III. Si quis forte indispositione aliqua vel alio incommodo infestatus, non posset surgere ad signum commune, somnusque ipsi magis necessarius foret quam reliquis diebus, idque iudicio medici et consensu Consultorum domus, poterit dicere orationem matutinam solus, idque hora commodiori. Si vero indispositio ejus fuerit naturae ut cubiculo [o]mnino exire nequeat, suscitator ipsi dabit candelam et Rector mittet quemdam Congregatorum, qui faciat cum ipso meditationem in cubiculo (114).

[109] IV. Nolint Congregati oblivisci singulis diebus visitare SS. Sacramentum et Beatissimam et quaque vice tertiam ad minimum partem rosarii recitare (115).

## Caput XV

### De praxi Virtutum et SS. Protectoribus (116)

[110] I. Vult Regula ut quovis mensium virtus aliqua scopo praefigatur in particulari, ut scilicet examina nostrum eorumque conventus spirituales eo majori efficacia fiant (116<sup>a</sup>). Hunc in finem Rectoris erit conspectui omnium in scriptis omni mense virtutem et sanctum protectorem exponere (117). Sic mense Januario erunt virtus fidei et protectores SS. Apostoli Petrus et Paulus; mense Febuario, virtus spei, protector S. Andreas Apostolus; mense Martio, virtus charitatis adversus Deum, protector S. Jacobus major Apostolus; mense Aprili, virtus unionis et charitatis, protector S. Joannes Apostolus; mense Majo, virtus paupertatis, protector S. Thomas Apostolus; mense Junio, virtus puritatis cordis, [protector] S. Jacobus minor Apostolus; mense Julio, virtus obedientiae, protector S. Philippus Apostolus; mense Augusto, virtus mansuetudinis, protector S. Bartholomaeus Apostolus; mense Septembri, virtus mortificationis, protector S. Matthias Aposto-

(113) CR 44, 1<sup>o</sup> par. in litt. min.; GRR 157, 1<sup>o</sup> par. in litt. min. Omissa est prima sententia; reliqua (« Singulis » etc.) fere ad verbum.

(114) CR 44, 2<sup>o</sup> par. in litt. min.; GRR 157, 2<sup>o</sup> par. in litt. min. Accuratius determinatum.

(115) CR 44, 3<sup>o</sup> par. in litt. min.; GRR 157, 3<sup>o</sup> par. in litt. min. Paulo accuratius determinatum.

(116) In Constitutionibus Cap. gen. 1793 breviter circa virtutes mensiles et protectores in fine capituli XII (Delle Ore canoniche); AICG 145, n. 379, 3.

(116<sup>a</sup>) Regula CSSR an. 1749, parte II, cap. II, § II, n. 2. *Spic. hist.* 16 (1968) 422.

(117) CR 45 sub a; GRR 157 sub a. Fusius determinatum.

lus (118); mense Octobri, virtus silentii, protector S. Symon Apostolus; mense Novembri, virtus orationis, protector S. Thad[d]aeus Apostolus; mense Decembri, virtutes abnegationis et amoris suimeptius (118<sup>a</sup>), protector S. Mat[t]h[ias] Apostolus.

[111] [II.] Ultra modo commemoratos protectores Congregatio venerabitur suam principalem et primariam protectricem Beatissimam Virginem Mariam sub titulo Immaculatae Conceptionis; in secundo loco S. Michaellem et S. Josephum, SS. Apostolos Petrum et Paulum, S. Joannem Evangelistam ante Portam Latinam, S. Philip[p]um Neri, S. Mariam Magdalenam poenitentem, S. Theresiam, S. Caetanum, S. Aloysium Gonzaga, S. Stanislaum Kostka et S. Franciscum Xaverium, ut sub illorum auspiciis obtineamus a Deo pro Instituto nostro illam copiam benedictionum et gratiarum, quibus summopere indigemus, ut finem nostrum consequamur (119).

[112] III. Quisque Congregatorum quovis anno ex pyxidi sortietur pro protectore et advocato suo sanctorum quemdam et virtutum quamdam, cui studeat, simulque preces quas pro infidelibus aut animabus aliis, illis plurimum indigentibus, fundat illo anno. Haec pyxis formabitur in vigiliis Circumcisionis, et tractis ex illa sortibus, in papyro componatur cathalogus, qui exhibeat nomina Congregatorum quos respectivae sortes respiciunt, eademque [= idemque] in aliquo loco domus convenienti omnium conspectui affigitor (120).

## ||18|| Caput XVI

### De Examinibus Conscientiae

[113] [I.] Hora matutina et ante cubitum examen conscientiae instituitur ab unoquoque in communi. Minutis septem ante prandium recitantur litaniae Beatissimae pro benefactoribus. Vesperi autem dimidio quadrante horae ante determinationem recreationis, signo dato, in chorum praeparantur omnes, ubi examine juxta methodum facto, fiant actus christiani cum reliquis precibus; finitis

(118) Mense septembri S. Mattheus veneratur protector; S. Matthias autem mense decembri.

(118<sup>a</sup>) Recte: virtus (virtutes) abnegationis sui et amoris crucis.

(119) CR 48 sub b; GRR 158 sub b. Ad verbum, sed cum additamento circa votum defendendi privilegii Immaculatae Conceptionis BMV.

(120) CR 49 sub c; GRR 158 sub c. Paulo accuratius determinatum.

his, hebdomadarius enunciabit fructuum orationis applicationem, communionem et mortificationes [= communionum et mortificationum] in diem subsequendum (121).

[114] *Die scilicet solis* Congregati sese applicando pro exaltatione Ecclesiae, pro Summo Pontifice et pro omnibus praelatis, principibus et catholicis regnantibus. *Die lunae* pro omnibus peccatoribus, haereticis, schismaticis et infidelibus, supplicando Deum, [ut] illuminare dignetur quicumque deflexerit a vera semita religionis et virtutis. *Die Martis* pro omnibus religionis (122) sexus utriusque, rogando Deum, [ut] velit ipsis concedere gratiam qua vivant secundum vocationem sui. *Die Mercurii* pro omnibus operariis vineae Domini et pro omnibus patribus et matribus familiae, obsecrando Deum, ut isti liberos suos in sancto amore et timore Domini educant, illis autem sanctum spiritum largiatur. *Die Jovis* pro omnibus poenitentibus, innocentibus, agonizantibus et animabus purgatorii, itemque pro creaturis adhuc in sinu matrum jacentibus. *Die Veneris* pro incremento spiritus Instituti et communitatis prosperitate. *Die Sabbati* pro omnibus devotis Beatissimae, pro omnibus benefactoribus spiritualibus et laicis [= temporalibus] et pro omnibus Patribus et Fratribus nostri Instituti (123).

[115] II. Finita hac applicatione, indicator ab hebdomadario, cujus est legere meditationem, punctum meditationis in diem crastinum, ut omnes se praeparare valeant. Postea singuli petunt benedictionem a Superiore generali, recitando solitam orationem [m] Beatissimae Virginis; hacque finita, quisque poterit se recipere in cubiculum suum (124).

## Caput XVII De Silentio (125)

[116] I. Nolint alta voce loqui cum aliis in compitis arcuum, cum Patres in cubiculis suis student, sed demissa voce utantur, si tamen loqui omnino necessarium sit (126).

(121) CR 49 sub a et 61 initio; GRR 159 sub a. Ulterius determinatum.

(122) Potius: religiosus.

(123) Cfr CR 61-62.

(124) Cfr CR 62 et 63, par. litteris inclinatis impr.

(125) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 146-147, n. 381: Capo XIV. Del Silenzio e Raccoglimento.

(126) CR 67 sub b; GRR 163 sub b. Paulo ulterius determinatum.

[117] II. Omnis strepitus et rumor in domo evitetur, praecipue in cubiculis et curritoriis, nam ejusmodi actiones repugnant exactae observantiae Regulae (127).

[118] *Spatium album.*

[119] ||19|| IV. Rector tempore silentii eat saepius visum, an haec regula observetur et praecipue vesperi post signum datum, quod scilicet omnes cubitum vocat, id quod esto hora dimidia post examen. Hoc signum dabit horarius ope campanulae communis, quam parum pulsabit et quisque Congregatorum lumen extinguet et cubitum ibit, nisi habeat licentiam expressam aliter operandi (128).

### Caput XVIII

#### De Poenitentiis corporalibus (129)

[120] I. Recurrentibus vigiliis festorum Beatissimae jejunium rigorosum observator; idem fiat in vigiliis cujusque alius festi ab Ecclesia ordinati. In Adventu et novena S. i Spiritus, in quibus cibus ex lacte confectis vesci licet, refectio vespertina 12 unciarum erit (130).

[121] II. Iuxta morem antiquum jejunium observabitur omni Sabbato in honorem Beatissimae, modo in illa hebdomade non jam fuerit injunctum jejunium ab Ecclesia, et refectio ad coenam erit 12 unciarum (131).

[122] III. Etiam disciplina in communi fiat duabus vicibus quavis hebdomade, scilicet diebus Mercurii et Veneris, durabitque per spatium psalm. *Miserere*, dicendo illum voce alta, *In te Domine speravi*, *Salve Regina*, *Omnipotens* etc., *Deus qui culpa* etc.,

(127) CR 67 sub c; GRR 163 sub c. Fere ad verbum.

(128) CR 67 sub d; GRR 163 sub d. Breviori modo.

(129) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 147-148, n. 382: Capo XV. Delle Mortificazioni e Penitenze corporali.

(130) CR 69 sub a; GRR 164 sub a. Amplius elaboratum; enumerantur septem festa BMV, quarum vigiliis jejunium est observandum.

(131) CR 69 sub b; GRR 164 sub b. Fere ad verbum.

*Deus qui diligentibus te etc., Protege Domine etc., Fidelium omnium etc., Deus, a quo sancta etc.* Nunc terminatur disciplina; postea subjungatur: *Anima Christi ss.ma etc., Nunc dimittis servum tuum etc.* (132).

[123] IV. Extra mortificationes corporales et affectivae non nisi cum licentia Rectoris et [*cetera desunt*].

[124] V. Tempore exercitiorum mortificationis omnis interdictus est lusus quicumque; demum nec venatum ire, nec pisces aut aves reti capere permissum est.

## Caput XIX

### De horis et diebus Recreationis (133)

[125] I. Omnibus post prandium aut [= et] coenam concessa est hora una, in qua animum recreent; sed in hac etiam hora recreationis fugiant discursus contentiosos, qui facile pacem et charitatem interrumpere et alterare possent. Hora recreationis vespertinae poterit institui per aliqua minuta discursus spiritualis de vita cujusdam sancti vel etiam de illa lectura spirituali, quae habita est inter diem (134).

[126] II. Circa novitios et laicos, quae respectu ipsorum stabilita habentur, observari debent.

[127] III. Singulis diebus hora 7 [postmeridiana] detur signum ad recreationem communem. Dato hoc, permissum est cuique ire in hortum vel etiam in civitatem, sed nunquam absque socio. Quovis die Jovis reliquisque diebus recreationis liberum esto cuique exire domo aliquantulum et mane et vesperi, ut animum sublevet.

[128] IV. Rector quidem pro cubitu [= lubitu] suo etiam reliquis diebus domo exire potest permittere; nolit autem in con-

(132) CR 69 sub c; GRR 164 sub c. Exscribuntur preces pro disciplina. - In manuscripto alia manus supplevit textum ab « *Omnipotens etc.* ».

(133) In Constitutionibus Cap. gen. 1793 statuta circa tempora recreationis habentur in capitulo XV (Delle Mortificazioni); AICG 148, n. 382, 2-4. Vide etiam AICG 150, n. 388: Capo XVII. Giorni straordinari di ricreazione.

(134) CR 73 ult<sup>o</sup> par.; GRR 165, par. litteris minoribus impr. Initium differt, reliqua (« fugiant discursus contentiosos » etc.) fere ad verbum.

cessione licentiae nimis esse facilis, absente omni motivo, nam ejusmodi concessionem, iteratae nimis, renituntur vitae solitariae et ||20|| Regulae religiosi. Dies praeter illos, qui in Directorio stabiliti sunt, non conceduntur in recreationem Congregatorum.

## Caput XX

### De Congregationibus domesticis (135)

[129] I. Quovis mense tertio elapso instituaturs congregatio, prout Regula ordinat (136).

[130] II. Omni Sabbato fiat congressus spiritualis, in quo sermo sit de virtute mensis currentis. Hoc finito, quisque Congregatorum dicet culpam, in quo scilicet peccaverit in Regulam non exacte observatam, prout stabilitum est in proprio Directorio (137).

[131] III. Quovis die lunae, nisi fuerit festum, si capitulum culparum fuerit institutum Sabbato praeterito, Congregati post prandium sumtum et gratiarum actionem peractam, ad mensam, quisque in loco suo, manebunt, datoque signo Pater Relator (138), a superiore jussus, referet culpas adversus Regulam commissas. Haec fiant juxta antiquum morem et prout regula latum est in Directorio congressuum domesticorum (139).

[132] IV. Quavis hebdomade omnino convenire debent sacerdotes et studentes respectivae domus, concertatum modos quorum auxilio bene eveniant missiones, omnisque defectus in illis declinetur. Si forte Rector nolit illud ipsemet facere, curam alii Patri committat. Quavis etiam hebdomade instituitur congressus in quo agitur de casibus conscientiae vel de theologia dogmatica. Quovis die lunae, excepto die lunae mensis primo, in quo rubricae in ultima dimidia hora actuum communium diei fient (id quod in omni altro [= alio] congressu observetur), instituitur casus asceticus super virtutem currentem et postea loco lectionis spiritualis quisque

(135) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 148-149, nn. 383-387: Capo XVI. Delle Adunanze domestiche.

(136) Agitur de conventibus instituendis quattuor temporibus anni.

(137) Hoc Directorium nos latet.

(138) Potius: Zelator.

(139) Hoc Directorium nos latet.



Congregatorum sese in cubiculum recipiet solus ibidem meditatatum (140).

[133] [V.] Methodus ejusmodi casus ascetici esto sequens: Omnes Congregati conveniunt in capella vel in hypocausto capituli. Lector mensae non nulla legito ex libro spirituali de virtute mensis. Postea Pater assignatus proponet illum casum, quem 3 diebus jam antea in publico loco exposuerat. Habito deinde signo a superiore, ratiocinabitur de dicta virtute; tandem etiam alii, sed non nisi ab eodem superiore invitati, de illa discurrunt. Totus autem auctus [= actus] non excedat spatium dimidiae horae (141).

## Caput XXI

### De Exercitiis spiritualibus annuis et diebus Secessus mensualis, seu Recollectione (142)

[134] I. Quovis anno quisque Congregatorum instituto exercitia spiritualia per spatium dierum 10, in secessu totali et silentio rigoroso. Si fieri nequeant mensibus Septembri et Octobri, antequam missiones finitae sint (143), superior pro arbitrio suo institui curabit illa tempore magis oportuno. Congregatus in exercitiis, ultra actus communes quo[s] Regula ordinat, alias praeter illos peraget praxes pias et orationes, quas propria devotio, accedente consilio sui directoris, ipsi suggesserit (144).

[135] II. Rector vel ipse ipsemet, vel ejus loco Pater alius assignatus ab ipso, poterit convocare congressum in quo de punctis primariis Regulae vel de quadam virtute sermo instituat, sed actus iste non duret ultra quadrantem horae (145).

(140) CR 75, 1<sup>o</sup> par. litteris minoribus impr.; GRR 166, 1<sup>o</sup> par. litt. min. impr. Ultima sententia (« Quovis die lunae » etc.) tantum, sed fusius explicata.

(141) CR 75, 2<sup>o</sup>-3<sup>o</sup> par. litteris minoribus impr.; GRR 166, 2<sup>o</sup>-3<sup>o</sup> par. litt. min. impr. Fere ad verbum. Ultima sententia ampliata.

(142) In Constitutionibus Cap. gen. 1793 statuta circa exercitia annua et recollectionem mensilem habentur in capitulo XVI (Delle Adunanze domestiche); AICG 149, n. 387, 7-8. - Ultima inscriptionis vocabula « seu Recollectione » ab alia manu adiuncta sunt.

(143) Recte: incipiant.

(144) CR 64 sub a; GRR 160 sub a. Prima sententia omissa est; reliqua paulo accuratius determinata.

(145) CR 64 sub b; GRR 161 sub b. Paulo accuratius determinatum.

[136] III. Quovis mense fiat secessus, etiam totalis, isque vel in communi vel in particulari, prout magis oportunum visum fuerit (146).

[137] ||21|| IV. Ne autem Congregati disturbentur diebus sanctorum exercitiorum suorum, populus antecederet moneri debet quod diebus illis nullae confessiones futurae sint, quod quisque nostrum occupatus est se ipso. Visitatio SS.mi Sacramenti sola non intermittitor, eaque hora solita populoque nota (147).

[138] V. Etiam Fratres eadem cum Congregatis peragere debent exercitia; id quod autem officia, quibus funguntur, non permittunt, cum secessus totalis illorum executioni e diametro obstaret. Ideoque Rector in illorum supplementum secessum dierum trium solum odo [= solummodo] injunget, cum dispensatione ab omni officio, idque alternatim omni quarto mense (148).

[139] *Spatium album* (149).

[140] VII. Qui non fuerit aut esse non potuerit in exercitiis in communi, illa suo tempore faciat solus in secessu totali et cum rigoroso silentio (150).

## Caput XXII

### De Archivis (151)

[141] I. In omni domo existito archivum cum duabus clavis, quarum unam habet Rector, alteram Archivarius, qui simul Secretarius domus esto (152).

[142] II. In archivo asservantur quaecunque scripta cum summo studio, quae nempe respiciant census, emtiones etc. Saltem

(146) CR 64 sub c; GRR 161 sub c. Paulo accuratius determinatum.

(147) CR 64 sub d; GRR 161 sub d. Fusius determinatum.

(148) CR 65 sub e; GRR 161 sub e. Elegantiori latina forma expressum.

(149) Fortasse hic inscribendus esset textus qui habetur in CR 65 sub f; GRR 161 sub f.

(150) CR 65 sub g; GRR 161 sub g. Paulo accuratius determinatum.

(151) In Constitutionibus Cap. gen. 1793 brevius tractatur de archivis in capitulo XVI (Delle Adunanze domestiche); AICG 149, n. 387, 9.

(152) CR 99 sub a; GRR 182 sub a. Ad verbum.

exemplaria authentica adsunto, nam originalia mitti debent in archivum generale (153).

[143] III. Pari cura asservantur quaeque jussa Generalis Superioris et omnes epistolae, quae vel salutem Congregationis respiciant, vel quid de aliquo Congregato statuunt, ne scilicet suo tempore et loco desint necessaria documenta (154).

[144] IV. Nec Rector nec Archivarius potest ex archivio accipere similia scripta, nisi urgente casu necessitatis et praesentibus duobus Consultoribus et Admonitoribus [= Admonitore] domus (155).

[145] V. In archivio pariter servantur scripta Congregatorum qui moriuntur, quin antecederentur de illis, ibidemque manebunt, donec Superior generalis debitam fecerit dispositionem (156).

### Pars Tertia

[DE REGIMINE CONGREGATIONIS]

#### Caput Primum

#### De Superiore generali (157)

[146] [I.] Officium Superioris generalis est regere totam Congregationem charitate paterna, vigilantia cura et prudentia. Illius est invigilare ut Regulae et Constitutiones religiose observentur, id quod ut fiat, debet cohortari, animadvertere, imo etiam rigore punire transgressores absque respectu, praecipue si fuerint superiores. Superior generalis potest ordinare quaecumque ipsi in majus Congregationis incrementum cessura videntur. Eiusdem item est

(153) CR 99 sub b; GRR 183 sub b. Ad verbum.

(154) CR 99 sub c; GRR 183 sub c. Ad verbum.

(155) CR 100 sub d; GRR 183 sub d. Ad verbum.

(156) CR 100 sub e; GRR 183 sub e. Ad verbum.

(157) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 150-153, nn. 389-399: Capo I. Costituzione del Rettore Maggiore.

invigilare integritati morum subordinatorum suorum, nam Deo rationem de illis reddere debet.

[147] II. Saepius Rectores, novitiorum Magistros, studiosorum Praefectos percunctari ||22|| debet de vita illorum, qui ipso- rum curae commissi sunt. Imo, formabit cathalogum de omnibus individuis Congregationis, in quo notata erunt cujusque talenta, indoles, vitia et virtutes, ut nempe occurrente casu Superior generalis suis individuis rite uti valeat (158).

[148] III. Superior generalis constituet in omni domo Inspectorem secretum, qui ex officio teneatur quovis mense notificare ipsi disordines et inobservantias, quas vel Congregati particulares vel etiam officiales committunt. Ipsius Rectoris vitae ratio vel bona vel mala ab hujus Inspectoris relatione non exempta esto.

[149] IV. Cordi praecipue habeat Superior generalis vitam communem et exactam observantiam sanctae paupertatis, ne vel minimus abusus adversus illam irrepat. Item Superior generalis attentus esse debet, ut non solum sibi, sed etiam omnibus reliquis superioribus subalternis prompta obedientia praestetur, nam obedientia est fraenum illud validissimum, quo Congregati in observantia Regularum cohiberi possunt (159).

[150] V. Pro viribus suis promovere debet opera Instituti, praecipue missiones sanctas et exercitia in domo, nam in his versatur finis nostrae Congregationis.

[151] VI. Superior generalis instructus est plena et absoluta auctoritate super omnes domos et in omnia individua nostri Instituti, et non solum ordinare potest quae totum corpus Congregationis respiciunt, sed etiam alias facere dispositiones in particulari, substituras usque ad convocationem Capituli, penes quod residebit auctoritas motiva examinandi, abolendi aut confirmandi. Aegrotante Superiore generali, primus Consultor clavum Congregationis tenebit, modo Superior generalis non alium quemdam Congregatorum destinaverit, in quo casu Consultor Vice-Generalis Constitutionibus audiet.

(158) CR 77 sub c; GRR 168 sub c. Fere ad verbum.

(159) CR 77 sub b; GRR 168 sub b. Ad verbum.

[152] VII. Ejus est eligere et nominare omnes Rectores domuum, Admonitores et duos Consultores cujusque Rectoris localis, Magistros novitiorum, Praefectos studentium, Lectores, imo etiam Visitatores. Antequam autem suscipiat dictorum officiorum individua, oportebit inire consilium cum suis Consultoribus, ut eorum mentem et sententiam percipiat. In illius pariter arbitrio situm est amovere ab officio officiales praedictos, cum causae sufficientes adfuerint, praecipue si animadverterit in illis notabilem disordinem aut relaxam observantiam, quin isti causam seu titulum actionum sua[rum] allegare possint. In his autem Superior [generalis] procedet semper cum consilio suorum Consultorum. Idem [= Item] munitus est auctoritate stabiliendi, prout ipsi placuerit, familias domu[rum], Congregatos mutandi et transferendi illos in quamcumque velit aliam domum.

[153] VIII. Superioris generalis etiam est acceptare fundationes novas et assignare situs. Nolit autem acceptare fundationes ita exiguas et miserabiles, ut ex illis nequidem commoda sustentatio Congregatorum, qui in illas impendi debent, proveniat, et ne isti necessitate constringantur petere stipem. Et si forte reperiat hujus conditionis fundationes, poterit illas dissolvere. Poterit pari facultate destinare novitiatum et studiorum domos, vel jam destinatas mutare, prout ipsi opportunum visum fuerit.

[154] IX. Ad ipsum spectat suscipere et dimittere individua, sed in hoc puncto debet omnino procedere juxta Constitutiones, tum respectu requisitorum in iuvene suscipiendo, cum circa defectus illius quem dimittendum censet. Superior generalis pollet quidem auctoritate in Congregationem recipiendi iuvenes ||23|| subdiaconos vel etiam sacerdotes, nam Consultores carent voto decisivo ratione istorum et aliorum; e re tamen esse videtur, ut saltem illos percuntetur quid de recipiendis sentiant, prout ordinat decretum Capituli, parte III, cap. 1, l. 15 (160).

[155] X. Ejus est convocare Capitulum novennale ope litterarum, quas Instituti domibus mittet. Idem faciet, si forte casus quidam extraordinarius expostularet convocationem Capituli extraordinariam.

[156] XI. Absque Superioris generalis expressa concessione nulli prorsus Congregatorum licebit gradum, magisterium, offi-

cium vel dignitatem extra Congregationem acceptare, si etiam Congregatus illis fungi posset, quin Congregatione exeat. Sic nullus Congregatorum mitti debet Neapolim, Romam aut alio, nisi accesserit praedicta licentia, modo non fuerit proprii officii ergo, v.gr. : in missionibus, exercitiis et ejusmodi, vel in alio quodam casu extraordinario, his etiam occurrentibus (161).

[157] XII. Penes ipsum est conferre illas facultates, licentias, privilegia et concessionones, quas illius arbitrio concessit Sancta Sedes; hasque potest concedere vel in toto vel in particulari, vel retinere proutcunque ipsi placuerit (162).

[158] XIII. Divisa in Provincias Congregatione, ipsi competit jus praesidendi capitulo provinciali, vel in persona vel per suum Visitatorem. Ejusmodi capitula institui nequeunt nisi Superioris generalis praecesserit licentia, eaque in scriptis (163).

[159] XIV. Non nisi cum permissione Superioris generalis fieri possunt contractus venditionis, emtionis, transactionis [*cetera desunt*] (164).

[160] XV. Casu necessitatis vel prosperitate Congregationis exigentibus, Superior generalis poterit imponere taxas pecuniarias vel quidcunque aliud domibus Congregationis omnibus, praecipue si gubernium generalitium indiguerit pro subsistentia sui, pro juvenibus studentibus, et singulariter si forte emersisset lis, quae totum Congregationis corpus concernat.

[161] XVI. Superior generalis vel ipsemet vel per Visitatores suos quotannis suscipiet visitationem generalem singularum domuum Instituti, illarumque statum actualem attento oculo perlustabit, libros praecipue calculorum et Missarum, ut ex illis colligere valeat, an obligationibus a fundatoribus impositis satisfactum sit. Vasa sacra et quidquid ad sacrum cultum sese refert, nolit praetermittere. Nec negligat auscultari propriis, non alius auribus, in particulari quemque Congregatorum, ut omnia ex fundo, absque

(161) CR 78 sub a; GRR 168 sub a. Ad verbum, sed tantum prima sententia.

(162) CR 79 sub b; GRR 169 sub b. Fere ad verbum.

(163) CR 79 sub c; GRR 169 sub c. Incipit: « Ipsi ejusve Vicario competit jus »; reliqua ad verbum.

(164) CR 79 sub d; GRR 169 sub d.

fuco intelligat et sciat, dareque postea possit eas dispositiones, quae coram Deo pro majori salute Instituti, disciplina et Regularum observantia ipsi plurimum oportunae videbuntur. Interrogabit, an exercitia et secessus juxta Regulam omnes peregerint. Ultra sedulo percuntabitur, quomodo sacerdotes sanctam Missam celebrent, an in illis praescriptis utantur caeremoniis sacris; et nolit parcere illis, sed severe puniat, si qui celebrarent nimia properatione, id quod non potest non fieri nisi cum scandalo et admiratione populi.

[162] XVII. Superior generalis habebit [*spatium album*] qui Secretarium agat, cum Fratre assistente qui ipsi in quovis casu succurrat. Et licet et Secretarius et Frater ipsi perfectam debeant subordinationem, non tamen sunt exempti ab illa obedientia qua tenentur adversus Rectorem loci, cui semper obtemperare fas est, nisi fuerint constituti in ipsa functione officii sui, nec in rebus quae sint incompatibiles cum officio suo. Ideo nec ipse nec Minister possunt impendere ipsos in officium aliquod, nec mittere extra domum, nisi adsentiente primum ||24|| Superiore generali. In articulis reliquis omnibus obligati sunt prout Congregati omnes observare Regulas.

[163] Secretarius sub praecepto formalis obedientiae tenetur, antequam officium suum incipiat, praestare jusjurandum in praesentia Consilii generalis de servando inviolabili semper silentio in re quavis quae ad officium suum spectet, vel ex qua damnum magnum vel infamia nostrum emergere posset in Congregationis detrimentum. Jurabit quod non variaturus aut falsificaturus aut nomine Generalis firmaturus sit litteras, quin Superior generalis jusserit; nec etiam firmare litteras, vel publicas vel Congregationem respicientes, quando in ea ipsa domo existat ipse Secretarius generalis Congregationis, cui soli id facere incumbit, prout ordinat decretum Capituli (165).

[164] XVIII. Frater nolit prohibere aditu qui nostrum loqui veli[n]t Superiori generali, immo, nisi Superior generalis conventus fuerit ab aliquo alio, aut ordinem habuerit contrarium, faciat intrare Congregatum absque interjecta mora, praesertim si

---

(165) Statuta circa officium Secretarii generalis Congregationis vide infra cap. VI. Statuta circa officium Secretarii personalis Superioris generalis vide infra cap. VIII.

sint Consultores et Procuratores generales. Sic etiam omnis Frater exhibeto summam reverentiam Patribus, nec participato rebus quae non sint sphaerae [suae], sed unice studeat satisfaciendo officio suo cum humilitate, affectu et decencia et debita affabilitate.

## Caput II

### De Vicario generali (166)

[165] [I.] Officium Vicarii generalis, sive electus sit secundum Regulam seu secundum Constitutiones et decretum Capituli, erit regere Congregationem usque dum novus Superior generalis electus sit, vel usque dum non dimittatur propter casum eundem, propter quem fuit electus. Cum Vicarius generalis nominatus fuerit mortis Superioris generalis ergo, primum illius officium erit ordinare cum sollicitudine funeralia, si habitet eam ipsam domum in qua mors accidit; si vero mortuus fuerit in alia domo, erit primi Consultoris (167) expedire litteras quibus convocetur Capitulum, quod, prout Regula ordinat, primis 10 mensibus institui debet (168).

[166] II. Debebit gubernare integram Congregationem qua Vicarius Superioris generalis (169) absolutus. Idcirco in ipso Congregationis regimine nullas faciat mutationes, sed quale accepit, tale servet. Habebit easdem facultates, quibus gaudebat Superior generalis, et iisdem quibus iste subjectus erat legibus subiacebit. Non poterit mutare Rectores, nec eligere novos, nisi eorum mortuo aliquo, et Rectoris novi officium solum usque ad novam electionem Superioris generalis [durabit]. Si forte in quaesto [= hoc] intervallo nascantur causae urgentissimae, quarum ergo vel suspendere vel omnino dimittere ab officio suo necessum foret Rectorem vel aliquem alium, nolit id facere absque voto decisivo P.P. Consultorum (170).

[167] III. Si forte fuerint negotia gravia et momentosa, quae absque detrimento Instituti differri possint, differat illa usque dum

(166) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 153-154, n. 400: Capo II. Del Vicario generale e del Rettore Maggiore defunto.

(167) Hic in manuscripto pars sententiae deest, uti patet ex contextu.

(168) CR 83 sub a; GRR 172 sub a. Accuratius determinatum.

(169) Deest in manuscripto pars sententiae, quae esse poterit: sed non qua Superior generalis.

(170) CR 84 sub b; GRR 172 sub b. Ad verbum.



novus Superior generalis eligatur. Nec domos novas acceptare aut acceptatas relinquere potest; et si forte ipsi fiant ejusmodi oblationes, ita procedat ut negotium ad electionem Superioris generalis prolongetur. Si autem negotium ejus conditionis fuerit ut procrastinationes non admittat, Vicarius generalis poterit decidere in illo, sed semper nixus voto decisivo suorum Consultorum (171).

[168] [IV.] Haec omnia intelligenda sunt de Vicario generali, qui solum ad tempus nominatus, vel in Superioris generalis morte electus est; nam in omni alio casu, in quo Vicarius generalis ||25|| deputari debet, iste instructus erit eadem facultate et auctoritate et iisdem conditionibus, quae soli Superiori generali conveniunt (172).

### Caput III

#### De Consultoribus (173)

[169] I. Regula concedit Superiori generali assistentiam Consultorum, quorum speciale officium est sublevare et adjuvare eum in toto regimine Congregationis. Idcirco, cum vocati fuerint ab ipso in consultationes vel decretatas vel mensuales, aperiant mentem suam, ac si coram Deo forent, quin partialitas vel alia motiva particularia ipsos praedominentur; salus enim Congregationis perpetuo ipsis ob oculos versari debet (174).

[170] II. In consultationibus Superior generalis quidem ut plurimum aliorum consilio nitetur, sed in conclusione rei omnes judicia sua illius sententiae submittere debent, nec displicentiam prodant, nec querelas moveant inter se; imo tenentur ad inviolabile secretum non solum in illis quae Superior generalis determinavit, sed nequidem licitum est ipsis expandere sententiam suam forte contrariam, nam ejusmodi interpellationes vel reverentiam imminuent vel omnino despectum adversus gubernium actuale producent (175).

(171) CR 85 sub c; GRR 173 sub c. Fere ad verbum.

(172) CR 85 sub d-e; GRR 173 sub d-e. Additamentum ad Vicarium gen.: « In Provinciis v.g. transmarinis et ultramontanis »; ceteroquin ad verbum.

(173) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 124, nn. 401-403: Capo III. De' Consultori generali.

(174) CR 86 sub a; GRR 173 sub a. Paulo accuratius determinatum.

(175) CR 86 sub b; GRR 174 sub b. Paulo accuratius determinatum.

[171] III. Habebunt votum decisionum [= decisivum] in rebus quas ipsis Regula concedit; et in his procedatur per vota secreta, si forte sententia omnium in re proposita non fuerit unanimes (176).

[172] IV. Nolint cuique faciles praebere aures [querenti] circa abusus gubernii actualis, sed percumentur et inquirant perquam religiose, procedantque summa circumspectione et cautela, et praecipue, quod Deus avertat, ubi convocatio Capituli generalis necessaria existimetur depositum a sede sua gubernium actuale; id quod solum fieri potest in casibus a Regula stabilitis et a Capitulo decretatis, et non nisi postquam facta primum probata et informationes debitae habitae fuerint. Regula enim vetat eo usque progredi, quin resolutio Consultorum in hoc puncto concordis sit, nam diverse operando oriri poterunt ingentes perturbationes cum concussionem ipsius Congregationis (177).

[173] V. Consultorum unus erit Admonitor penes Superiorem generalem, qui officio suo respondeat, quin personam intueatur. Nolit autem procedere ad admonitiones, nisi, ut Regula dicit, in rebus gravibus et ex quibus detrimentum Congregatio capere posset, praecipue si vitae ratio Superioris generalis haud consona fuerit Regulis et Constitutionibus. In similibus autem admonitionibus utatur semper humilitate et reverentia adversus illius personam, exercendo officium suum perinde atque actum charitatis (178).

## Caput IV

### De Procuratore generali (179)

[174] I. Congregationis Procurator generalis majorem non habebit auctoritatem quam ipsi concedit Regula; uteturque summa attentione et fidelitate in rebus quas ipsi committit Superior generalis, nec audebit transgredi fines officii sui.

(176) CR 87 sub c; GRR 174 sub c. Ad verbum.

(177) CR 87 sub d; GRR 174 sub d. Paulo accuratius determinatum. - Ad hoc statutum examinatore notavit: « Foglio 22, n° 4. Doppo le parole 'prese le debite informazioni' si aggiunga: sempre però con la previa licenza e permesso della S. C. de' Vesc. e Reg. » (AG II D 94<sup>bis</sup>, sub i).

(178) CR 88 in fine; GRR 175 in fine. Ad verbum.

(179) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 154-155, n. 404: Capo IV. Del Procuratore generale.

[175] II. Ex propria auctoritate vel in nomine suo nil suscipiet in rebus quae integrum Instituti corpus respiciant, sed solum attentus quam maxime esse debet, ut decreta a Capitulo formata, suumque officium concernentia, exacte adimpleat (180).

[176] III. Cum ejus sit habere curam, quantum pecuniae supersit ex omnibus Instituti redditibus et foundationibus, religiose observet quantum stabilitum est Cap. V, p. 2, n. 3 (181) et rursus parte III, § 3 (182), ut valeat quovis sexto mense debitam reddere rationem Superiori generali suisque Consultoribus.

## ||26|| Caput V

### De Visitoribus (183)

[177] I. Cum Superior generalis ipsemet domuum visitationem suscipere non potuerit, mittet suos Visitatores, quibus alius adhuc Pater adjungetur qui Secretarii functionem obibit (184).

[178] II. Visitor eam solum habebit auctoritatem, quam ipsi concedit Superior generalis in patente deputationis (185).

[179] III. Visitor nolit esse facilis in excipiendis querelis adversus superiores vel alia individua Congregationis, sed servia [= seria] et matura mente omnia volutet, antequam oportunas dispositiones opponat. Si Rectorem loci deprehenderit ipsum negligentem et officio suo deficientem, corrigat ipsum, sed in privato, ne reliqui Congregati perdant reverentiam superioribus debitam, modo circumstantiae non adsint, quae alium correctionis modum exigant. Charitas et prudentia autem dominantur (186).

[180] IV. Procurabit sibi scientiam completam de vita communi, de naturali, doctrina, aliisque dotibus et talentis Congre-

(180) CR 90, par. litteris minoribus impr.; GRR 176, par. litt. min. impr. Ad verbum.

(181) Vide has Constitutiones, parte II, cap. V, n. 3. Supra n. [59].

(182) Regula CSSR an. 1749, parte III, § 3. Cfr *Spic. hist.* 16 (1968) 431-432.

(183) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 155, n. 405: Capō V. De' Visitori.

(184) CR 91 sub a; GRR 177 sub a. Prima sententia ad verbum; adiuncta est altera sententia.

(185) CR 91 sub b; GRR 177 sub b. Ad verbum.

(186) CR 91 sub c; GRR 177 sub c. Fere ad verbum.

gatorum, formando brevem et distinctam relationem, quam Superiori generali in scriptis tradet (187).

[181] V. In visitationibus nolit esse nimis prolixus nec nimis brevis. De omnibus omnino plenam sibi notitiam comparare debet, scilicet de ecclesia, domo, officina, cubiculis, libris, redditibus, expensis, missis etc. etc. His perlustratis, concludet statum activum et passivum domus (188).

[182] VI. Modus quo visitator excipi debeat, docetur a Directorio Congregationis (189).

## Caput VI

### De Secretario generali Congregationis et Capituli (190)

[183] I. Requisitum principale Secretarii generalis Congregationis et Capituli versatur in silentio, quod praestare tenetur rebus quae officium suum respiciunt et praesertim rebus quae ipsi soli confiduntur a Superiore generali; pari modo taciturnus esto in quovis alio genere, ubi consultatio fiat generalis (191).

[184] II. Habebit ipse in custodia sua, et quidem sub clave, sigilla majora Congregationis, nec cujdam tradet illa nisi Superiori generali [*spatium album*] et cum de illis usus fuerit factus, reponere debet ea in priori sollicita custodia (192).

[185] III. Illius pariter est officii curam gerere archivi generalis, in quo servari debent originalia Regularum et Constitutionum Congregationis, acta Capitulorum generalium, Visitationes collegiorum, litterae circulares et quidquid a Superiore generali in scrip-

(187) CR 91 sub d; GRR 177 sub d. Ad verbum.

(188) CR 91 sub e; GRR 177 sub e. Fere ad verbum.

(189) CR 92 sub f; GRR 178 sub f. Meliori latina forma redactum.

(190) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 155-156, n. 406: Capo. VI. Del Secretario generale del Capitolo e della Congregazione.

(191) CR 92 sub a; GRR 178 sub a. Elegantiore forma latina redactum.

(192) CR 92 sub b; GRR 178 sub b. Fere ad verbum.

tis dispositum est, nec non epistolae cujuscunque alius individui, quae in laudem et gloriam vel integri corporis Congregationis, vel unius domus, vel etiam unius Congregati redundare possint, ut illius memoria semper viva conservetur in Congregatione (193).

[186] IV. Idem habebit librum in varias partes divisum, in quo notati sunt: 1° - omnes Congregati professi clerici; 2° - omnes fratres servientes; 3° - omnes sacerdotes professi et clerici mortui; 4° - omnes fratres mortui; [5°] - in fine omnes novitii clerici ex una parte et [novitii] servientes ex altera (194).

[187] V. Habebit insuper librum, et ipsum in varias partes divisum, in quo erunt [notata]: 1° - privilegia; 2° - decreta Capituli generalis; 3° - omnes epistolae circulares. Item alium consimilem librum tenebit, cui committet statum passivum et activum omnium domuum, ut quoque tempore satisfacere valeat requisitionibus consultationum. Poterit etiam habere librum a parte in quem referet illos quibus concredit[ae] sunt soboles et omnes familiae domuum etc. (195).

[188] ||27|| VI. Iussus a Superiore generali notificabit diem in quo consultationes instituantur, simulque proponet materias in illis discutiendas, si tamen Consultorum uni non fuerit haec demandata provincia (196).

[189] VII. Cum ipsius sit asservare omnia scripta Congregationis et collegiorum, ita quovis anno cum sollicitudine exposcere debet a respectivis Rectoribus copias originales (197) quas in archivis [= archivo] in ordine reponet, ut promptas illas habeat, exigente quovis casu requisitionis; idem observabit circa epistolas quae in archivo servari debent (198).

---

(193) CR 92 sub c; GRR 178 sub c. Paulo ulterius determinatum.

(194) CR 93 sub d; GRR 178 sub d. Ad verbum.

(195) CR 93 sub e; GRR 179 sub e. Ultima sententia ulterius determinata; ceteroquin ad verbum.

(196) CR 94 sub f; GRR 179 sub f. Clariori latina forma redactum.

(197) « Copia originalis » in archivi vocabulario est contradictio in adiecto; exemplaria originalia, vel copiae authenticae.

(198) CR 94 sub g; GRR 179 sub g. Paulo accuratius determinatum.

## Caput VII

## De Rectore locali (199)

[190] I. Rector localis gaudet plena auctoritate in omnes Congregatos domus suae; propterea omnes ipsi demonstrare tenentur subordinationem et exactam obedientiam et summam reverentiam in rebus, quas ordinabit tenere [= tenere] Regularum et Constitutionum (200).

[191] II. Itaque studeat ut adimpleat officium suum non tantum voce, quantum exemplo, id quod fiat cum non solum promptum, sed etiam primum se praestet in observandis Regulis, denegando sibi ipsi omnem particularitatem vel exemptionem, exceptis casibus in quibus ipse ipsemet dispensaret quemque Congregatorum (201).

[192] III. Summa attentione invigilet, ut strictissima observantia habeatur in quovis minimo puncto Regularum et Constitutionum. Fervorem bonis et observantibus addat, consulat debilibus, cohortetur et corrigat inobservantes. Et ubi necessarium existimaverit, utatur auctoritate sua et poenam expetat; nam recordeatur, quod aliquando redditurus sit rationem Deo de officio suo (202).

[193] IV. Poterit quidem dare praecepta formalia obedientiae; id quod autem non nisi rarissime faciat e [= et] postulantibus non nisi gravissimis causis et quam maxime urgentibus. Et cum facultatem habeat dispensandi aliquem Congregatorum ab observantia aliqua, nolit et hoc facere, nisi adsistentibus Consultoribus et postquam bene examinaverit, an dispensatio rogata vere necessaria sit (203).

[194] V. Attentus esto, ut officiales subalterni impense quisque suo satisfaciatur officio. Cohortetur, corrigat, etiam deponat deficientes officio; id quod tamen fiat cum cautela, nam continuae et extraordinariae mutationes facile producunt detrimenta in tempo-

---

(199) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 156-157, nn. 407-411. Capo VII. Del Rettore locale.

(200) CR 95 sub a; GRR 180 sub a. Ad verbum.

(201) CR 95 sub b; GRR 180 sub b. Ad verbum.

(202) CR 95 sub c; GRR 180 sub c. Ad verbum.

(203) CR 96 sub d; GRR 180 sub d. Fere ad verbum.

ralibus et spiritualibus. Et si tamen necessarium omnino censuerit dispositiones novas in administratione officiorum facere, eas non nisi cum intelligentia Consultorum faciat; propterea dabit his omnem libertatem operandi juxta mentem Constitutionum et nolit ipsis esse impedimento.

[195] VI. Sedulo inquirere debet in conscientias Congregatorum, eorum cubicula visitare et quovis mense, prout Regula vult, instituire consultationem, vel etiam inter diem [= interdum], si casus urgens id exposceret.

[196] VII. Curam gerat, ut Congregati accipiant necessaria; sublevet corpus et animam illorum et demonstret quod ipsorum salus summopere sibi cordi sit. Charitate et amore omnes, praesertim debiles et infirmos, prosequatur. Cum Congregatorum aliquem videat angustiatus et agitatus intrinsecus, assistat ipsum [= ipsi] procurando sublevame[n] et quidquid remedii oportuni.

[197] VIII. In correctionibus caveat, ne prorumpat in terminos offensivos, imo ||28|| utatur talibus qui prodant, quod correctio proveniat solum ex spiritu charitatis et amoris pro salute Congregati. Iubendo aliqua, nolit uti verbis imperiosis; ad summum dicere poterit: Per amorem Dei fac hoc vel illud, vel: Habe patientiam hoc vel illud faciendi.

[198] IX. Studeat summopere conservandae charitati inter Congregatos. Consulat illorum bonae famae, nec faciles aures praebeat relatoribus; sed attente perpendat et examinet quaecunque ipsi referuntur. Et si quis Congregatorum peccasset in secreto, Rector defectus ejus tacere debet, nec confidere illos nisi [eis] quorum interest scire eos.

[199] X. Iuvenum studentium, si qui in illa domo sint, curam in se suscipiat. Rector illos consideret perinde atque pupillas oculorum suorum, demonstretque illis singularem affectum et sollicitudinem specialem respectu progressus tum spiritualis cum litterarii. Nec Rector ipsis obstet in studiis, sed observet et observari faciat a Praefecto et Lectore quae super hunc articulum stabilita habentur a Constitutionibus.

[200] XI. Ejus sphaerae etiam est oeconomia domestica; providere enim debet in tempore victualia aliaque necessaria, ne quid

desit aliquando cum disturbine [= molestia] et passione Congregatorum et cum damno duplicis expensae. Ultra victum et alia quae Congregatis juxta stabilimentum [= institutum] Congregationis suppeditari debent, quin Rector audeat minimum quid detrudere et minuere, nolit facere expensas extraordinarias et praesertim non in fabricis vel rebus aliis, licet non excedant summam a Regula ipsi concessam, quin habuerit licentiam in scriptis a Superiore generali. Nam Rectoris prima sollicitudo esse debet, ut satisfaciat suis Congregatis et necessitati Congregationis; postea, si quid pecuniae residuum fuerit, illam in similes expensas convertere poterit.

[201] XII. Dona oblata Congregatis Rector mox incorporabit communitati, modo non destinata sint novitiis vel studentibus; si fuerit casus primus, accipiet illa Magister novitiorum, si casus alter, plerumque Rector dabit illa, cum fuerint commestibilia [= esculenta], Praefecto ut distribuatur ea inter studentes. Imo, si quis Patrum acceperit commestibilia, eaque inconservabilia, relinquitur Rectoris arbitrio concedere illa communitati. Sed Rector simul notificare debet illi Congregato, cui donum factum est, ut gratias agat donatori, nam harum omissio peccatum foret erga regulas convenientiae.

[202] XIII. Rector sollicitus esse debet, ut extranei qui exercitorum vel alius motivi causa in domum nostram veniunt, comiter et more religiosorum excipiantur, praecipue si fuerint benefactores Congregationis totius vel domus cujusdam; id quod ut fiat, nota distincta de illis formari debet, ut omnibus Congregatis innotescant et ne adversus illos committantur defectus reverentiae, ex quibus, licet involuntariis, fama omnium et reputatio illius domus detrimentum capere posset.

[203] XIV. Rector quovis mense exacto quaerat abs Ministro calculum exactum et instituat consultationes, quas Regula et decreta, p. III, n. 14, ordinant, et observet quantum ab his stabilitum est parte III, n. 15 (204).

[204] XV. Cum Regula adjungat ipsi Admonitorem et Consultores, audiat hos et, quantum poterit, sese illorum menti con-

---

(204) Vide Decreta Capituli gen. 1785 circa consultationes domesticas in AICG 65, nn. 136-137.



formet, nec obstinatus inhaereat suae propriae sententiae, praecipue si Admonitor ipsum de aliqua re instruere velit.

[205] ||29|| XVI. Iuxta Constitutionem Archivarii (205), habeat libros quibus inserat mandata et litteras circulares Superioris generalis, visitationes domus, consultationes illius, earumque decisiones a Consultoribus signatas, ubi etiam notificantur licentiae in scriptis, quas Superior generalis concessit in expensas extraordinarias quae summam 100 Thalerorum excedant.

[206] XVII. Nolit intermittere aliquando visitare domum, idque tempore actuum communium, et vesperi claves totius domus recipiat.

[207] XVIII. Rector insuper librum habeat, qui exercitia quae quisque Congregatorum peregit, comprehendat, ut, cum Visitator venerit, exhibere possit illum.

## Caput VIII

### De Secretario Superioris generalis (206)

[208] I. Fidelitas et taciturnitas efficiunt summam Secretarii Superioris generalis. Cum ipsius sit scribere epistolas ab isto dictatas et commissas, nolit quid facere quod repugnet menti et jussis ejusdem, nec audeat uti nomine ejus in rebus quae ab ipso non sint jussae et ordinatae. Nolit quid effutire de illis quae scripsit, legit, aut audivit; sed inviolabile semper praestet silentium in omnibus quae ipsi committuntur, recordando semper officium quo fungitur (207).

[209] II. Concredito sibi negotio aliquo a Superiore generali, nolit in illo conficiendo excedere fines, sed esto semper diligens, prudens et sollicitus in re quavis (208).

[210] III. Registret et asservet in optimo ordine omnes epistolas officiales et responsa ipsi tradita; quasque inutiles censet,

(205) Vide has Constitutiones, parte II, cap. XXII. Supra nn. [141]-[145].

(206) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 157-158, n. 412: Capo VIII. Del Secretario del Rettore Maggiore.

(207) CR 98 sub a; GRR 182 sub a. Ultima particulae pars (« recordando » etc.) meliori latina forma redacta; ceteroquin ad verbum.

(208) CR 98 sub b; GRR 182 sub b. Fere ad verbum.

quovis mense rejiciat. Abstineat legere litteras cum nota *soli*; nec alias legat, nisi sibi consignatas (209).

[211] IV. Si forte aliquis Congregatorum ipsi scripserit aut commiserit aliquod negotium quod Superiori generali communicet, ipse sese urbane excuset et notificet illi, quod nolit habere quod faciat cum negotio proposito, quod autem scribere possit directe vel Superiori generali vel uni Consultorum (210).

## Caput IX

### De requisitis

#### quae desiderantur in illis

qui in Instituti Congregationem recipi volunt (211)

[212] I. Quemadmodum omne individuum summa sollicitudine eo vertere debet studium suum, ut numerus operariorum Evangelii augeatur, ita eadem sollicitudine et attentione praecipue invigilare debent illi, quibus incumbit, ut in Congregationem recipiantur non nisi tales quos existimaverint capaces et idoneos ad finem Instituti, quin commendationes aut alii respectus humani intercedant (212).

[213] II. In postulante igitur requiritur vera vocatio, ne sint determinati ad Institutum amplectendum ab aliquo fine secundario, sed unice ut Deo placeant, se ipsos sanctificent et cooperentur ad salutem animae [= animarum]. Cum vero Superior aut Consultores animadvertant in illis defectum vel vacillationem hujus basis, nolint illico admittere, si etiam aliquis commendatus fuerit a viris maximae auctoritatis, eo minus cum intercesserint cum sollicitudine urgente postulantes potentes (213).

[214] III. Requiritur insuper ut praediti sint bonis talentis et capacitate, ||30|| absolverint studia humaniorum et rethoricam [= rethoricam], bene calleant latine [= linguam latinam]; in

(209) CR 98 sub c; GRR 182 sub c. Fere ad verbum.

(210) CR 99 sub d; GRR 182 sub d. Paulo accuratius determinatum.

(211) Cfr textum respondentem Constitutionum Cap. gen. 1793 in AICG 158-159, nn. 413-416: Capo IX. Requisiti necessarij in coloro che vogliono essere ricevuti in Congregazione.

(212) CR 101 sub a; GRR 184 sub a. Ad verbum.

(213) CR 101 sub b; GRR 184 sub b. Fere ad verbum.

his examinatores nolint esse indulgentes, nec audiant pro illis intercedentes. In examine instituantur quaestiones super facultates quibus operam navaverunt, exponantque praesertim auctores Latinos bonos. In fine versionem facient ex lingua vernacula et vice versa (214).

[215] IV. In tertio loco sunt naturali docili et tractabili, nam nil boni sperare licet de illis, qui sint temperamento difficili, fastidioso vel omnino hypochondrico (215).

[216] V. Sunt bona salute et vigorosa complexione, ut Instituti incommoda subire et ferre valeant. Formam quod externam concernit, non sunt notabiliter deformes, sed bono adpectu et sermone prompto et expedito (216).

[217] VI. Quantum ad aetatem, habeant annos circa circum 15, etiam 14; non autem poterunt admitti ad oblationem ante annum aetatis 16 exactum. Sunt etiam instructi fide baptismi, a Curia episcopali corroborata, una cum attestatis crismatis [= confirmationis] dal = [ a] proprio paroco juratis, ad haec de vita et moribus et frequentia sacramentorum. Postulentur insuper a Curia saeculari et ecclesiastica, quod postulans nulla [= nullo] delicto inquinatus aut alio quodam impedimento canonico irretitus sit (217).

[218] VII. Occurrit desuper patrimonium constitutum juxta tenorem taxae dioeceseos vel cappellania vel donatio, idque mediante publico instrumento acceptato et ratificato a Curia; item contributio pro vestibus in anno novitiatus, quae centum ad minimum Thalerorum esse debet, nisi Superior generalis et Consultores respectu talentorum extraordinariorum vel alius casus singularis aliter statuerint.

[219] VIII. Inadmissibiles sunt qui pectore laborent, sanguinem spua[n]t, lue venerea infecti, apoplexia vel epilepsia tacti

(214) CR 101 sub c; GRR 184 sub c. Fere ad verbum.

(215) CR 102 sub d; GRR 184 sub d. Fere ad verbum.

(216) CR 102 sub e; GRR 184 sub e. Adiungitur in fine: « et quantum fieri potest suavi »; ceteroquin ad verbum.

(217) CR 102 sub f; GRR 185 sub f. Paulo accuratius determinatum.

sint, gravi oculorum morbo aut alio quocunque malo incurabili incommodentur, quo Congregationis scopo inutiles redderentur; prae reliquis autem maxime excluduntur qui gallico aut alio morbo infami laborent. Et si quis postulantium ex malitia taceret morbum unum ex praedictis et post intervallum aliquod temporis morbus sese manifestaret et adpareret quod malum illud jam in seculo sibi contraxerit, eo momento dimittuntur, licet jamjam fecerint oblationem. Haec poena recipiendis noticator die visitationis [= investitionis], ne habeant quod contradicant (218).

[220] IX. Non admittuntur qui habeant genitores pauperes, ne postulans aliquando ipsos sustentare teneatur; idipsum intelligitur de illis quibus sint sorores nubiles, pauperes et absque succursu. Idem valet de illis qui onusti sint aere alieno non satisfacto, vel obligati reddere adhuc calculos longos, difficiles et intricatos. Item non admittendi sunt juvenes, qui displiceant principi vel patrono loci in quo nati sunt, et illi praecipue non de quibus Episcopus male sentit et quibus forte jam negavit ordinationem (219).

[221] X. [In] impedimentis absolutis et indispensabilibus sunt apostasia a fide et crimen haeresiae, quarum postulans publice sit damnatus, quod sese separaverit ab unitate Ecclesiae. Quando autem haeresia et schisma non sint peccatum particulare postulantis, sed generale illius patriae vel nationis, non erit impedimento. Homicidium voluntarium et infamia ex peccatis enormibus contracta excludunt. Recognitio similium culparum infamantium attinet ad Superiorem generalem suosque Consultores, v.gr. natiuitas illegitima, natum esse ex parentibus ||31|| hebraeis, condemnatio per sententiam publicam vel quaecunque alia infamia ex quocunque capite contracta. Huc spectant pariter filii parentum qui vilissimam aut infamem vitam profiteantur, quales sunt sicarii, laniones, caupones male audientes, latrones, vagabundi, sanniones, idque genus subjecta (220).

[222] XI. Non reassumuntur qui jam una vice ex Congregatione dimissi fuerunt, vel alius Ordinis, Instituti aut Congregationis habitum gesserunt, si etiam fuerit per brevissimum tempus, nisi Superior generalis aliter in hoc puncto disposuerit. Nunquam

(218) CR 102 sub g; GRR 185 sub g. Fere ad verbum.

(219) CR 103 sub h; GRR 185 sub h. Fere ad verbum.

(220) CR 103 sub i; GRR 185 sub. i. Paulo accuratius determinatum.

autem et ex nullo prorsus motivo, etiam urgentissimo et perquam cohonestante, licebit in Congregationem assumere qui jam eremitae habitum gesserit, vel reapse eremita fuerit (221).

Attestata postulantis  
hujus sunt tenoris (222)

[223] Anno                    mense                    die                    in collegio  
                                coram ejusdem R. Patre Rectore                    suis Con-  
sultoribus                    et novitiorum Magistro                    ego  
filius legitimus et naturalis                    natus in urbe seu praedio  
dioecesis                    baptizatus in ecclesia parochiali  
anno                    mense                    die                    absolvi studia                    mente et  
corpore sanus, nulli gravi salutis incommodo aut secreto defectu  
laborans, hisce attestor juramento, quod omnia impedimenta de  
verbo ad verbum mihi praelecta sint, quae expressa sunt in Con-  
stitutione respectu illorum qui in Congregationem SS.mi Red-  
emptoris assumi postulant, quodque interrogatus sim super illa  
et mihi eodem tempore intimata sit poena expulsionis, quam ac-  
ceptavi, scilicet expulsionem mei, etiam post oblationem, si ex  
malitia aliquod commemoratorum impedimentorum tacuerim. - Da-  
tum in supra [dicto] collegio                    anno                    mense  
die                    Ego                    attestor et confiteor ut supra manu  
propria.                    duo testes. Sigillum.

[Sequuntur post *Constitutiones*, supra transscriptas, in manuscripto pp. 31-40 *Capituli MDCCLXXXV Decreta*, quorum textus originalis italicus editus est in AICG 62-71, nn. 124-170; qua ratione *Decretorum* transscriptione hic supersedemus. Adiungemus tantum textum qui habetur in ultima manuscripti pagina (p. 40), quia non invenitur in editione AICG].

[224] [Decreta Cap. gen. 1785, parte III, cap. II] (223).  
||40|| XXV. Cum Moniales Redemptionis [SS.mi Redemptoris]

(221) CR 104 sub k; GRR 186 sub k. Prima sententia ad verbum; secunda sententia (de eremitis non assumendis) omittitur. Quoad eremitarum admissionem cfr statutum in forma minus severa redactum Constitutionum Cap. gen. 1793; AICG 159, n. 416.

(222) CR 104 et GRR 186: « Exemplar attestationis faciendae a quovis postulante, antequam ad vestem suscipiendam admittatur ». Fere ad verbum; adjuncta est declaratio de confirmatione.

(223) In editione AICG Decreta Cap. gen. 1785 ad IIIam Regulae partem non sunt divisa in capitula.

in urbe S.æ Agathæ Gothorum, Regni Neapolitani, rogaverint communicationem suffragiorum cum nostra Congregatione in casu mortis cujusdam Monialis, Capitulum, examinata illarum petitione, decretavit quod in casu mortuæ Religiosæ Redemptionis nostræ domus ultra suffragia communia, id est per 15 dies omnia opera bona, sive orationes, communiones, jejunia, abstinentiæ, disciplinae, meditationes, officia ecclesiastica, id est horæ canonicæ, conciones, missiones et alia id genus, teneantur recitare nocturnum mortuorum et celebrare Missam cantatam quæque earum. Moniales autem teneantur dicere non solum integrum officium defunctorum magnum et suffragia communia, sed etiam celebrari curent Missam cantatam et alteras 4 privatas, mortuo Superiore generali; Missam unam cantatam et privatas duas pro mortuo Patre, et Missam rursus unam in morte cujusque Studentium et Fratrum servientium; suffragia solita communia pro novitiis et novitiabus respectivis. - Praesens decretum se extendit etiam in Moniales reliquorum monasteriorum Redemptionis, si forte rogarent hanc communicationem (224).

### Caput III

#### De Privilegiis Congregationis

[225] I. Cum proponeretur Capitulo, an privilegia nostræ Congregationi concessa debeant vel non debeant acceptari tantum directe, quam per modum communicationis cum aliis Congregationibus et Ordinibus Religiosorum, omnibus vitæ [= rite] perpensis eo decretum est, quod acceptari debeant, ut etiam acceptata sunt, sed cum sequentibus restrictionibus et conditionibus:

[1.] - Quod nempe Capitulum horum acceptatione nolit acceptare illa privilegia, quæ Superiori generali vel aliis superioribus concedunt facultatem imponendi Congregatis poenas corporales, quæ formam judicariam exposcant, v.gr. poenam carceris etc.

2. - Respectu poenarum spiritualium acceptantur commemorata privilegia prout de jure.

3. - Cum haud e re foret, si quisque Congregatorum uti posset his privilegiis pro arbitrio suo, Capitulum idem ordinat quod nulli

---

(224) CR 108 sub c; GRR 189 sub c. Suffragia communia non enumerantur; ceteroquin fere ad verbum.

Congregatorum permissum sit uti et frui his privilegiis, gratiis, concessionibus et exem[p]tionibus nostrae Congregationi concessis, nisi cum intelligentia et beneplacito Superioris generalis, qui vel ipse ipsemet vel per alios, in quos commissionem contulerit, illa privilegia, vel omnia vel in parte, singulis nostrum juxta Bullarum et Rescriptorum pontificalium normam communicabit, cum declaratione et explicatione quis [= quas] exhibebit compendium de illis (225).

[226] Sequitur subscriptio Capitularium.

[227] Copia praesens extracta est ex Originali, quod in archivo asservatur, et quocum facta diligenti collatione concordare reperta est.

6 gbre 1790, Romae.

Loco Sigilli

FRANCISCUS DE PAOLA  
Superior generalis

O.A.M.D.G.

---

(225) CR 109; GRR 190. Ultima particulae pars (« cum declaratione et explicatione » etc.) omissa est; ceteroquin ad verbum.